MASTER NEGATIVE
NO. 93-81265-18

AUTHOR:

PREUSS, ERICH

TITLE:

DE EURIPIDIS HELENA

PLACE:

WEIDAE THURINGORUM

DATE:

1911

Master Negative #

93-81265-18

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Preuss, Erich, 1888-

De Euripidis Helena. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Ericus Preuss ... Weidae Thuringorum, Thomas et Hubert, 1911.

56 p. 24 cm.

Thesis, Leipzig, 1911.

[illegible]

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 4/7/93 INITIALS BE

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202

Centimeter

1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm

1 2 3 4 5

Inches

1.0 1.1 1.25 1.4 1.6 1.8 2.0 2.2 2.5 2.8 3.2 3.6 4.0 4.5 5.0 5.6 6.3

MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

no. 4

DE EURIPIDIS HELENA

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI RITE IMPETRANDOS SCRIPSIT

ERICUS PREUSS

BUCHHOLZENSIS

WEIDAE THURINGORUM

TYPIS EXPRESSERUNT THOMAS ET HUBERT

MCMXI

Rettulerunt ad ordinis philologos de hac dissertatione

R. Heinze et **E. Bethe.**

Lipsiae, a. d. XIII Kal. Nov. MCMXI.

Procancellario
Brandenburg.

PARENTIBUS CARISSIMIS

Dispositio.

Index librorum et Sigla.

Ivo Bruns, Vorträge und Aufsätze, München 1905 = Bruns.

E. Fritze, Die Euripideische Tragödie „Helene“, Festschrift d. 45. Philologenversammlung in Bremen 1899 = Fritze.

M. Wieland, Grundriß u. Beurteilung der Helena d. Euripides. Neues Attisches Museum 1808 II, 2 = Wiel.

G. Fraustadt, Encomiorum in litteris Graecis usque ad Romanam aetatem historia, Lipsiae MCMIX = Fraust.

F. Leo, Der Monolog im Drama. Berlin 1908 = Leo.

C. Lindskog, Studien zum antiken Drama, Lund 1897 = Lind.

H. Patin, Euripide, Paris 1894 II = Patin.

W. Nestle, Euripides, Stuttgart 1901 = Nestle.

W. Verrall, Essays on four plays of Euripides, Cambridge 1905 = Ver.

H. Steiger, Wie entstand die Helena des Euripides? Philologus 67 (1908) = Steiger.

F. Blass, Die Attische Beredsamkeit², Leipzig 1887 = Blass.

G. Hermann, Euripidis Tragoediae, Lipsiae MDCCCXXXVII II, 1 = Herm.

E. Meyer, Geschichte d. Altertums, Berlin 1901 = Meyer.

J. de Arnim, De prologorum Euripideorum arte et interpolatione, Gryphiswaldae 1882 = Arnim.

A. de Premerstein, Über den Mythos in Euripides Helena, Philologus 55 (1896) 634 sqq. = Prem.

K. Reich, Der Einfluß der griechischen Poesie auf Gorgias, den Begründer der attischen Kunstprosa, I. Diss. München 1907; II. Gymn.-Progr. Ludwigshafen 1908/9.

Th. Bergk, Griechische Literaturgeschichte, Berlin 1884.

De Wilamowitz, Aristoteles und Athen. Berlin 1893.

I. T. = „Iphigenia Taurica“.

Euripidis fabula, quae Helena inscribitur, interpretibus adhuc permagnas obtulit difficultates. Imprimis singularis mythi quisnam quatenus poetae nostro auctor fuerit investigare adhuc cordi est viris doctis. Quo magis mirum mihi videtur a nullo cur illo ipso tempore Euripides hoc argumentum sibi elegisset exploratum esse. Gradatim enim magis magisque poeta in tragoediis suis convicia in Helenam contulit, quod ut recte cognoscamus, breviter quomodo pulcherrimae illius Graecorum mulieris fama a singulis poetis exculta sit videamus.

Homericam illam Helenam luculentissime descripserunt viri docti Lehrsius[1]) et Brunsius (l. l.). Deinde apud Pindarum[2]) Tyndaridis fit mentio ut Troiani belli auctoris, quo eodem opprobrio usi Aeschyli in „Agamemnone“, in qua una commemoratur, Spartae illa regina est *παράνους, μία τὰς πολλὰς ψυχὰς ὀλέσασ᾽ ὑπὸ Τροίᾳ* (1455 sqq.). Sophocles vero exceptis duabus illis fabulis, *Ἑλένης ἀπαίτησιν* dico et *Ἑλένης γάμον* quae, cuinam generi Tragoediarum attribuendae sint et quid continuerint non apparet (Herm. 15 sqq.), Helenae mythum nusquam adhibuit. Quo magis mirum est plurimis Euripidis in fabulis tam saepe hanc feminam aut conviciis affici aut ipsam partes agere turpissimas. Cuius rei non aliam invenire possum causam, nisi quod Euripides belli Peloponnesiaci calamitatibus compulsus ad Troiani belli mythos cappessendos, quamcunque ipse civesque perpessi sunt invidiam et miseriam, in Helenam contulit utpote primi mortalium vel Graecorum belli auctorem[3]) — pro historia enim a Graecis mythus habetur (Fritze 199). Primis enim in tragoediis eius Troianae fabulae omnino non occurrunt (Alc.; Med.; Hipp.), sed quo durius Atheniensibus belli iugum fit, eo magis obtrectatur Helenae[4]), velut in „Hecuba“ vituperationis summa continetur verbis *διὰ καλῶν γὰρ ὀμμάτων αἴσχιστα Τροίαν εἷλε* (442 sq.). In „Cyclope“ vero et „Andromacha“ iam *ἀποπτύειν* iubet poeta *προδότιν κύνα,* quae *πολλοῖς*

---

[1]) Populäre Aufsätze aus dem Altertume, Lpz. 1875, 1 sqq.

[2]) ed. Schroeder. Lipsiae MCM: Ol. XIII, 82; Py. XI, 50.

[3]) Hel. 38 sqq.; El. 1282 sq. = Kinkel. Epic. Graec. Fgm. *κύπρια* 1. — Andr 681 sqq. Tro. 932 sqq.

[4]) Heinze, Vergils epische Technik, Lpz. 1903, 49.

ἥδεται γαμουμένη (Cycl. 176; 182; 280. Andr. 607 sq., 630). Nec satis hoc; ipsam in scaenam mittit tragicus in „Troasin“ et „Electra“, ubi illa est patriae *θεοστυγὴς λώβη, κατάπτυστον κάρα*, quae *πολλοῖς πατράσιν* — mala et pestes dicit poeta (Tro. 767) — prognata *μάργος, ἀναιδείας πλέα, ματαία ἑκοῦσα* luxus studens et venerationis maritum prodidit (Tro. 132, 373; 767; 921 sqq.; 1020 sqq.; 1213. El. 1027; 1062; 1064). Et cum in I. Ta., in qua adumbrat tantum Troianum mythum, quasi respiraverit Euripides in Helena *μίσει εἰς Ἕλληνας* (525) dehonestanda, in „Oresta“, quaecunque contumeliae in mulierem proferri possunt, coniunguntur ad maledicendum *Δυσελένη, θεοῖς στυγουμένη, πολυστόνῳ, λιποπάτορι, λιπογάμῳ, κακίστη δάμαρτι* et *Ἑλλάδος μιάστορι, ἣ πλείστους μία ἀπώλεσεν* et *Ἑλλάδ' αὐτοῖς Φρυξὶν διελυμήνατο* (19; 56; 741; 743; 1387; 1503; 1514; 1584), ita ut quasi pro confessione poetae habere possimus „Orestae“ versum: *Ἑλένην . . . οὔποτ' αἰνέσω*[1]) (520). Videmus igitur has obtrectationes Helenae ab Euripide continuari[2]). Quae intuenti permirum esse arbitror inter media haec summa Helenae maledicta unam fabulam ab eo compositam esse, qua summis laudibus effertur illa femina, „Helenam“ dico. „Das Merkwürdigste ist aber, daß Euripides in den Troerinnen diese ganze Wendung, die er der Sage in der Helena gibt, gar nicht andeutet, und doch liegen beide Stücke nur 3 Jahre auseinander und zwischen sie fällt die Electra, bei deren Aufführung der Plan der Helena schon feststand“ (Nestle 89). Ergo verisimillimum videtur poetam ad sententiam mutandam non ipsum sua sponte accessisse, sed ab alio quodam incitatum esse.

PRIMA PARS.

Euripidis „Helenam“ esse encomium.

Ac primum quidem Euripidem celeberrimorum illius temporis sophistarum assiduum fuisse discipulum imprimisque Protagora, *τοῦ ἀντιλέγειν* praecipue profitente artem, familiariter usum esse minime ignotum est[3]). Sub idem fere tempus, anno 427, Athenas venit Gorgias, praeclarissimus

1) Steiger, Philol. 59 (1900), 397.

2) Quae Helenae ignominia seros permansit in annos, ut ex Lycophronis „Alexandra“ apparet. A scriptoribus vero medii aevi nostrorumque temporum quomodo Tyndaridis fabula tractata sit Alexander a Gleichen-Rußwurm ostendit (Die schöne Helena: Zeitschrift Über Land und Meer 1900, Nr. 37, 907 sqq.).

3) a Wilamowitz, „Heracles“ I^{1}, 26 sq.; Diels, Vorsokratiker II^{1}, 532.

ille orationis generis demonstrativi auctor, cuius facultate dicendi et eloquentiae magnificentia omnes tunc non solum rhetores, sed etiam viri eruditi capti sunt[1]). Cuius sub nomine duo exstant opuscula, quae nunc ab omnibus fere viris doctis genuina iudicantur, quam opinionem nuper Reichius (l. l.) novis argumentis probavit. Sed sicut de ipsius sophistae vita nihil fere certum traditum accepimus, ita etiam quo tempore opuscula eius composita sint incertum est. Qui fit, ut virorum doctorum alius aliud rectum putaverit neque tamen certa firmaque documenta attulerit velut Nestlius ante Euripidis „Troadas“ (90). Thielius (Herm. 36 [1901] 271) circiter 385 Gorgianam „Helenam“ conscriptam censet — latum sane intervallum. Quarti vero saeculi initio Gorgiam maximum natu scribere perseverasse iure negat Wilamowitzius (I, 172, 75). Et quod Brunsius (88) Leontinum Euripidis „Helenam“ respicere autumat, statim redarguam hanc opinionem. Equidem mihi persuasi Gorgiam Euripidis „Troasin“ ad Helenae encomium scribendum impulsum esse — hactenus Reichio (l. l. 33 sqq.) assentior — et hoc opus circiter 414 edidisse. Neque enim quidquam obstat quominus Gorgiam illo tempore Athenis vixisse et Euripidis „Troasin“ actis interfuisse credamus. Nam Blassius (I, 60) ac Susemihlius (Fleck. Jb. 115 [1877] 793 sqq.) iam ostenderunt non esse cur sophistam ante bellum Deceleum, quod vocatur, Athenas reliquisse et post id denuo in hanc urbem revertisse putemus. Contra Maassius (Herm. 22 [1887] 579 sqq.), quem Drerupius (l. l. 350) sequitur, enucleavisse sibi videtur, Antiphontis quintam orationem, quae pro genuina habetur (Thalheim, PRE. s. v.), Gorgianae eloquentiae, imprimis „Palamedis“ vestigia continere, ergo „Palamedem“ ante 411 i. e. ante mortem Antiphontis confectum. Idem ex maiore hiatus in Gorgiae „Helena“ licentia hoc specimen paulo ante „Palamedem“ in medium prodisse concludit. At nonne certius aliquid statuere possumus? Primum Isocratis „Helenae“ prooemium, quod adhuc summas interpretandi difficultates praebuit, diligentius interpretemur. Quo in exordio, quod abhorret a proprio argumento (Arist. Rhet. III, 1414 d) de orationis tantum recto et falso usu disputatur; nam quid aliud est illud *Γοργίαν τολμήσαντα λέγειν — Ζήνωνα πειρώμενον ἀποφαίνειν — Μέλισσον, ὃς ἐπεχείρησεν ἀποδείξεις εὑρίσκειν*, quae omnia comprehenduntur verbis *ἐκείνων ἐπιδειξάντων . . . ψευδῆ μηχανήσασθαι λόγον* (§ 3)? Et graviter consulit auctor in *ὑπόθεσιν ἄτοπον καὶ παράδοξον ποιησαμένους*

1) Diodor XII, 53: Dionys. Hal. de Lys. 3; Drerup, Fleckeis. Jb. Su. 27, 293.

2) ed. Blass, Antiphontis orationes, Lpz. 1881, 150 sqq.

(§ 1), quorum iuniores ut aemulos tantum seniorum reprehendit, qui (iuniores) *ὅμως ἐκείνων* — seniorum, Protagorae et *τῶν κατ' ἐκεῖνον τὸν χρόνον* — *οὕτω φανερῶς ἐπιδειξάντων, ὅτι ῥᾴδιόν ἐστιν . . . ψευδῆ μηχανήσασθαι λόγον, ἔτι περὶ τὸν λόγον τοῦτον διατρίβουσιν* (§ 4). Ergo Protagoras eiusque aequales principes huius falsi orationis usus existimantur et inter hos seniores artificia potius componentes quam veram dicendi artem profitentes etiam Gorgias ponitur (§ 3; Cic. Brut. 47; Plato „Gorgias"). Res ita se habet: Isocrates more sophistarum ipse ad ingenium et dicendi artem demonstrandam argumenta *παράδοξα* adhibet i. e. non *ἀγῶνος*, sed *ἐπιδείξεως ἕνεκα* opusculum conficit. Ipse enim *εὖ λέγειν*[1]) studet feminam infamem et sic paegnium componit, quod ipse confitetur[2]). At auctoritate iam fruitur Isocrates ut logographus, et veros oratores decet *τὴν ἀλήθειαν διώκειν* (§ 4). Propterea in angustias adducitur; nam, ut vim ipsius operis augeat, et vituperare et laudare talia ludicra et paradoxa cogitur. Sed ingeniose nodum solvit. In duo enim genera dividit haec paradoxa: in inepta (*ἄτοπα* § 8 et § 12) et in bona et utilia (§ 14; argum. orat. X). Atque increpat illos *ὑπόθεσιν ἄτοπον ποιησαμένους* — *βομβυλιούς* dicit et *ἅλας* (alia exempla Fraust. 47) — contra comprobat Gorgiae[3]) argumentum, quod sublime et utile (§ 5) est[4]). Nempe laudanda ei est materia, qua ipse ad artem dicendi ostendendam utitur. Et ut omne opprobrium — *περιεργίας* (§ 2 sqq.) et *τερθρείας* scilicet — aufugiat et quasi excuset paegnium, callide dicit: „Non levi materia (§ 9 sqq.) commoveor ad „Helenam" scribendam, sed eo quod vir illustris ille, qui par argumentum tractavit, non *ἐγκώμιον*, quod pollicetur, sed *ἀπολογίαν* confecit". Ergo praeclarus esse debet is, cuius opus corrigendum sibi

[1]) Ergo illos *εὖ λέγειν τι βουληθέντας* (§ 14) non veram artem oratoriam adhibentes intellegit Isocrates, sed ut ex Ciceronis loco allato totaque exordii operisque compositione apparet rem laudando augentes.

[2]) Neque enim facere possumus, quin „Busiridis" illa verba (§ 9) *οὐ σπουδαίαν οὖσαν* <*τὴν ὑπόθεσιν*> etiam ad „Helenae" consilium illustrandum adhibeamus.

[3]) Sunt qui Gorgiae „Helenam" ab Isocrate respici posse negent — nuperrime Wilamowitzius (l. l.) —, quia illum ab hoc primum ut sophistam vituperari, tum propter „Helenam" laudari verisimile non sit. Quos refutaverunt Blassius (l. l. I 74 et II 242 sqq.), Drerupius (l. l. 253), Suessius (Ethos, Lpz. 1910, 54), et Reichius (l. l. I, 6 sqq.) horum argumenta novis auxit. Iure id quidem. Neque enim hic Isocrates proprie ut sophistam Gorgiam vituperat — ipse enim hoc specimen sophistarum more componit — sed ut artificem verborum, qui in opere, quo *περὶ φύσεως* disserit — minime enim refert, quae materia tractetur (§ 4 *περὶ ὧν ἄν τις πρόθηται*) — dicendi artem falso adhibuerit (§ 4 *ῥᾴδιον . . . ψευδῆ μηχανήσασθαι λόγον*.

[4]) *ἐπαινῶ μάλιστα . . . ὅτι περὶ τοιαύτης ἐμνήσθη γυναικός* (§ 14).

proponit Isocrates, superbus ille atque immodicus sui aestimator[1]). Et hoc est exordii consilium: Communicat nobiscum Isocrates, qui ad tam levem materiam tractandam incitatus sit, quod idem in „Busiride" facit. Sed vivit Polycrates, propterea sub specie epistulae facile ei monstrare, quomodo re vera regem crudelissimum laudare debuerit, et sic ipsius paegnium excusare potest[2]. In „Helena" contra — excusandi gratia — tantis ambagibus utitur Isocrates. Nonne etiam id certum est testimonium non iam vivere *τὸν γράψαντα περὶ τῆς Ἑλένης*? Re vera unus tantum — *τὸν γράψαντα* (§ 14 — Blass 74) — adhuc Helenam laudavit Isocratique exemplum dedit et hic est Gorgias, praeclarissimus rhetor. Qui ut ex Isocratis „Helenae" exordio hausimus, Protagorae et seniorum sophistarum temporibus scribendi studium explevit et Isocrates hoc argumento Helenae laudandae pellectus cum in componendo opere Gorgiae specimen iam diu pervulgatum et praedicatum praetermittere non posset, astute, quo maior sua ars videretur paegniumque excusaretur, in prooemio adhibuit, simul ut in eo temporis sui scriptorum *περιεργίαν* reprehenderet (§ 2). Neque profecto Gorgias cum iam clarus factus veram generis demonstrativi rationem invenisset, talia ludicra composuisse putandus est, immo verisimile videtur eum praeter ceteros *ἀνταγωνιστάς* (Isocr. Hel. § 9) i. e. Protagoram eiusque aequales paribus illorum speciminibus et artificiis florere studuisse[3]). Quem sophistam paulo ante Lenaea anni

[1]) Non discipulus vel obscurus sophista. Nam optimus quisque rhetor tunc et postea in Helena laudanda artem dicendi demonstravit, velut Isocrates, Polycrates, Anaximenes, si licet argumento „Helenae" Isocrateae fidem habere. Principale igitur Helenae encomium a praeclaro quodam oratore conscriptum esse manifestum videtur. „Gorgiae vero Helena prima laudatio est, ipsa per se stans" (Fraust. 45), et celeberrimi huius verborum artificis specimen dignum erat, in quo retractando et corrigendo posteri rhetores ingenium et facultatem dicendi declararent. Verecundia vero magistri minime caret discipulus; dicit enim Isocrates: „Sophistarum istae nugae vanae sunt, sed si modo quis eas tractare vult, tam utile argumentum sibi eligat quam Gorgias, quamquam is non laudationem sed defensionem effecit. Quod ego vitare studeo". Sic enim et Gorgiam collaudat cum sophistis comparatum et tamen se illo superiorem dicit (Blass. 74).

[2]) § 2 *σοὶ μὲν ἐπιστεῖλαι, πρὸς δὲ τοὺς ἄλλους ὡς οἷόν τε μάλιστ' ἀποκρύψασθαι.* — In ceteris forma utriusque operis eadem est: Bus. § 4 sqq.; 9 = Hel. 14 sq.; 15.

[3]) Muenscher, Rhein. Mus. 54 (1899), 272 sq. Potuit quidem Gorgias tum cum Athenienses orationis ornamentis et artificiis pellectos captosque tenebat — paucos annos postquam Athenas venerat (427) — talia levia argumenta sibi proponere. Non iam potuit, cum Graeci artificiosa oratione assueti paulatim magis magisque orationis consilium, non artem tantum, respiciebant (vide Platonis „Gorgiam") et ipse sophista certa vitae ratione et studio regebatur, quae in „Olympiaco" declaravit (Wil. l. l.). Quod opus circiter 408 conscriptum esse Wilamowitzius (l. l.), cuius ad

414 damnatum Athenis fugisse Mueller-Struebingius (Fleckeis Jb. 121, 81 sqq.) enucleavit.

At ipsius Gorgiae „Helenae“ exordium inspiciamus. Affirmat enim sophista commotum se esse ad Helenam laudandam, quod *ὁμόφωνος καὶ ὁμόψηφος γέγονεν ... ἥ τε τῶν ποιητῶν ... ἀκουσάντων πίστις* et propterea se velle *τὴν κακῶς ἀκούουσαν παῦσαι τῆς αἰτίας* (§ 2)[1]. Sed dixerit forte quis: Nimiam sophistae vanitatem! Stesichorus in palinodia iam laudavit Helenam. Sed acutissime animadvertit Suessius (l. l. 85) Gorgiam in „Helena“ *ποίησιν* praecipue intellegere tragoediarum artem, quae quinto saeculo summa poesis erat, et Reichius (I 32 sqq.) effecit operibus sophistae, quae exstant, tragoedias exemplari fuisse. Propterea mirum non est palinodiam istam in exordio silentio praetermitti. At qui dicere potuit Gorgias *ὁμόφωνος καὶ ὁμόψηφος . . . τῶν ποιητῶν πίστις*, si Euripidis „Helena“, 412 acta, iam percrebruisset, qua Helenae castitas et integritas summis effertur laudibus? Nam obtrectaverunt quidem omnes fere poetae Helenae, sed, ut vidimus, raro et obiter, occasione oblata; num vero his paucis tantum conviciis adductum sophistam animum induxisse putemus Helenae famae subvenire? Equidem potius mihi persuasi maiore impulsu opus fuisse et illum gravioribus obtrectationibus ingenium suum et vim dicendi in defendenda Helena opposuisse. Nunc Euripidem satiari non posse in dehonestanda hac femina quin ipsam in scaenam producere et quasi ante oculos Graecis ponere hanc Graecorum perniciem iam cognovimus. Ergo talis Tyndaridis existimatio idonea erat, in qua defendenda et restituenda sophistae ingenium et *τοῦ ἀντιλέγειν* ars ostenderetur. Propterea Gorgiam Euripidis praecipue maledictis Helenae ad *Ἑλένης ἐγκώμιον* scribendum impulsum esse verisimile puto. Ac nonne convenit Gorgiam orationis artificem artem suam imprimis comparare cum Euripide fabulas summopere rhetoricis argumentis et ornamentis exornante? Nam illis ipsis temporibus certamen inter rhetores et poetas fuit, „materia i. e. fabula eadem erat, certabant ratione tractandi et forma“ (Fraust. 61). Certe Gorgias ipse *ποίησιν ἅπασαν καὶ νομίζει καὶ ὀνομάζει λόγον ἔχοντα μέτρον* (Hel. § 9;

argumenta revoco, contendit. Iure mea quidem opinione. Nam sicut Isocrates diu post *ἀκμὴν* et scholam conditam „Panegyricum“ composuit (ca. 380), et inde talia ludicra omisit, ita etiam Gorgias certa demum auctoritate et loco apud Graecos imprimis Athenienses potitus — peregrinus enim est — at nondum senectute confectus, summum opus, „Olympiacum“, edidisse et paegnia abdicasse iudicandus est.

[1]) Contra Isocrates Polycratem vituperat (Bus. § 39 sqq.), quod *ταῖς τῶν ποιητῶν βλασφημίαις ἐπηκολούθησεν*, quorum *λόγους, ἢν σωφρονῶμεν, οὐ μιμησόμεθα*.

Reich. I 12); parem igitur tragoediarum artem iudicat rhetoricae dignamque, cui adversari possit orator. Qua de causa mihi Euripidis fabulas legenti una obviam est facta, qua mea quidem sententia Gorgias ad Helenae laudationem conficiendam commotus est. In „Troasin“[1]) enim primum Helena ipsa in scaenam prodit et poeta per eam et Hecubam verborum certamen praebet, quo Helena cogitur se ipsam crimine fugae et adulterii liberare. Prima igitur hac in fabula Euripidis *ἀπολογία Ἑλένης* legitur (895 sqq.). Quam diligentius recenseamus et cum Gorgiana „Helena“ comparemus.[2])

Duabus causis leviter tactis et deorum certamine — Gorgias ut sophista mythum in defendenda Helena plane neglegit — enarrato ad summam *ἀγῶνος* i. e. raptum transit poeta, quod idem apud sophistam invenimus (Blass. 73):

Eur. 938 sq.: *οὔπω με φήσεις αὐτὰ τὰν ποσὶν λέγειν,*
ὅπως ἀφώρμησ' ἐκ δόμων τῶν σῶν λάθρᾳ.

Gorg. § 5: . . . *ὑπερβὰς προθήσομαι τὰς αἰτίας, δι' ἃς εἰκὸς ἦν*
γενέσθαι τὸν τῆς Ἑλένης εἰς τὴν Τροίαν στόλον.

Uterque igitur sicut Homerus (*Γ* 174 sq.) novit Helenam *προδοῦσαν πατρίδα καὶ δόμους* (947). Deinde Euripides ut summam excusationem affert *ἔρωτος δύναμιν*, cui ipse Iuppiter subiectus est, et Paridis *βίαν* ac *θεῶν βουλὴν* — est enim ipse *ἔρως* deus — strictim adumbrat. Gorgias vero has tres ex poetae nostri opere mutuatus *λόγου* tantum *δύναμιν*, ut est ipse verborum artifex, de suo adiecit. Quarum duae cum eaedem sint — *θεῶν βουλή* et *ἔρωτος* divina potestas — pari argumento atque eo Euripideo uti debet, quod cum animadvertisset, occulendi causa *θεῶν βουλήν* primo, *ἔρωτα* ultimo loco operis posuit. Rursus vero Gorgias poetae sententiam emendat; neque enim si amor est error, eum Helenae crimini tribuendum esse, ut Euripides autumat (989 sq.), sed *ψυχῆς ἀγνόημα ὡς ἀτύχημα νομιστέον* finxit (§ 19.). Sed iam accuratius quomodo uterque

[1]) Nestlius (90) censet Euripidem in „Troasin“ Gorgianam „Helenam“ respicere. Sed, ut vidimus, Euripides in fabulis paulatim magis magisque Helenae obtrectat et in „Troasin“ eam primum inducit loquentem. Hic igitur secundum ipsam fabulam totumque poetae consilium certaminis verborum causa sequitur Helenae defensio et Hecubae accusatio. Ergo hanc *ἀπολογίαν Ἑλένης* priorem esse perspicuum est.

[2]) Iam Reichius (I 33 sqq.) nonnulla inter se congruentia invenit, quibus motus Gorgiam Euripidis opus imitatum esse contendit. Nos vero diligentius inquirere oportet, ut accuratius quae ratio inter ambos locos intercedat, eruamus.

Helenae fugam excusaverit inspiciamus. Apud Euripidem mens Helenae amore turbata est (946: *τί δὴ φρονήσασα*: vide 988; 990; 992). quae eadem sententia et sola haec, quae nullo alterius in libro reperitur, redit apud sophistam (§ 16 sq.). Qua de causa in „Troasin“ culpa in deam convertitur (*τὴν θεὸν κόλαζε* 948), qua superiorem esse homini non licet (*κρείσσων γενοῦ* 948); stulti enim esse deos vincere velle (964 sq.), propterea Helenae veniam esse habendam (*συγγνώμη δ' ἐμοί* 950). Ecce eadem et haec tantum sententiarum series in Gorgiano opere (§ 16 inverso ordine: *τῷ θεῷ τὴν αἰτίαν ἀναθετέον; πέφυκε τὸ ἧσσον ὑπὸ τοῦ κρείσσονος ἄρχεσθαι; ἄξιος αἰτιᾶσθαι ὁ αἰτιώμενος; τὴν Ἑλένην τῆς δυςκλείας ἀπολυτέον* = § 19). Quid quod pari modo uterque Helenae amorem *νόσον* intellegit (Eur.: 1042 *τὴν νόσον τὴν τῶν θεῶν* — Gorg. § 19 *ἀνθρώπινον νόσημα*), rursusque *ἔρωτα* pro stultitia habet (Eur.: 989 sq. *τὰ μῶρα — Ἀφροδίτη ἀφροσύνης ἄρχει* — Gorg. § 19 *ψυχῆς ἀγνόημα*)? Ac quod dicit poeta (987 sq.) *ἦν οὑμὸς υἱὸς κάλλος ἐκπρεπέστατος, ὁ σὸς δ' ἰδών νιν νοῦς ἐποιήθη Κύπρις*, quid aliud est illud sophistae (§ 19) *εἰ οὖν τῷ τοῦ Ἀλεξάνδρου σώματι τὸ τῆς Ἑλένης ὄμμα ἡσθὲν προθυμίαν καὶ ἅμιλλαν ἔρωτος τῇ ψυχῇ παρέδωκεν* . . .? Deinde quod ad raptum attinet *βίᾳ* factum (962; 998). Euripides vehementissime increpat Paridem ut *ἀλάστορα* (941) Helenae miseritus utpote *πικρῶς δουλευούσης* (964) et immerito *ὀνειδιζομένης* (936) paribusque Gorgias nititur sententiis: *ἔδρασε δεινά* Paris (§ 9) et Helena *βίᾳ ἁρπασθεῖσα ἐδυςτύχησεν; πῶς οὐκ ἂν εἰκότως ἐλεηθείη μᾶλλον ἢ κακολογηθείη*; (§ 7). Videmus igitur excepta *λόγου* laudatione omnia et sola haec Euripidis argumenta amplius tantum tractata in Gorgiae „Helena“ redire, — quod iam Brunsius (91) animadverterat — praesertim si apud Euripidem ipsam Helenam loqui, Gorgiam contra de ea verba facere nobiscum reputamus, quin etiam ad verba congruere sententias. Quodsi Tyndaridi in tragoedia mortem instare (901 sq.) considerabimus, ergo Helenam suam causam agere, iam intellegemus quomodo Gorgiae ex encomio quod sibi proposuit (§ 21), *ἀπολογία* fieri potuerit (Isocr. Hel. § 14). Propterea etiam more sermonis forensis ab utroque argumenta conclusionibus finiuntur (Eur. 937; 950; 961 — Go: § 6, § 7, § 15, § 19). Qua de causa nonne cogitari potest Gorgiam, cum Euripidis fabula ageretur, in theatro affuisse et hoc certamine verborum tantopere pellectum esse et impulsum, ut ipse, orationis artifex, in Euripidis argumentis poetae monstraret, quomodo, si vera sophistarum arte imbutus esset, Helenam defendere debuisset, sicut Isocrates specimine suo Polycratis „Busirim“

corrigit? Euripidis enim „Troades“ 415 in scaenam prodierunt; certamen vero, quo alter alterius operi obtrectat, tunc tantum valet, cum statim post adversari libellum ipsius specimen in lucem prodit. Nunc vero ante bellum Deceleum Gorgiae „Helenam“ conscriptam esse verisimile esse vidimus et ex comparatione amborum locorum didicimus Gorgiam plane tragici argumenta sequi. Nulla igitur re impedimur immo vel maxime adducimur, ut circiter 414 Gorgiam *Ἑλένης ἐγκώμιον* perfecisse credamus. Quam opinionem si sequemur, statim recte intellegemus, quid sibi velit „Electrae“ ille locus Euripidisque „Helena“. In „Electra“ enim, 413 acta, hoc novum Helenae purgandae et laudandae consilium pronuntiat poeta (1280 sqq.). Ad quod Steigerus (208 sq.) dicit: „Wahrscheinlich stand ihm bei dem neuen Drama erst das eine fest, was ihn zu dem Stoffe reizte: er wollte eine *καινὴ Ἑλένη* auf die Bühne bringen. Das war dem Dichter das Erste und Wichtigste, als er ans Werk ging.“ et (219) totam compositionem interpretatus affirmat: „Ich glaube nicht, daß ihn bei seiner Helena in erster Linie der Wunsch geleitet hat, diesen dankbaren, günstig aufgenommenen Stoff — „Iphigeniam“ dicit — noch einmal auf die Bühne zu bringen: . . . ihn lockte das Problem der *καινὴ Ἑλένη*[1].“ Unde igitur cepit Euripidis hoc problema? — neque enim vehementissimus Spartanae reginae obtrectator ex se id hausisse putandus est? Nihil obstat quominus Euripidem, assiduum sophistarum et rhetorum discipulum, cui ipsi talia verborum artificia et orationis specimina gratissima erant (Meyer IV 153 sqq.), hoc Gorgiae opere pellectum ad Helenae encomium componendum accessisse credamus. Tali enim materia in tragoediam conversa optime Atheniensium animos mobiles novaque audiendi cupidos capi posse putabat poeta, tale argumentum et ad sophisticam disciplinam ostendendam et ad civium desiderium paradoxa atque inaudita spectandi explendum utilissimum erat. Quod re vera „Electrae“ illo loco confirmatur. Hac enim in fabula Sophocli *ἀντιλέγειν* ausus poeta cives praeparat ad Helenam illam novam, cuius consilium multo audacius est quam id quod

[1]) Re vera illo tempore, clade Sicula accepta, poetae Spartam illiusque reges laudare minime licuit. Et si tantum in gratiam redire voluit cum sexu muliebri, cui adhuc semper obtrectavit (Ver.), cur non summam atque perfectam praedicat mulierem velut Penelopam et cur paulo postea in „Oresta“ iterum mulieribus gravissime maledicit? At verum vidit Bergkius (III 557 sq.): „Der Tragiker versucht sich an einer Apologie der vielgescholtenen Frau. Ein solches Thema entspricht vollkommen dem Geiste der Sophistik.“

proferebat. Quod hic tantum nobis occurrit, ergo singulare est[1]). Res ita se habet: Paulo ante, „Electram" actam Gorgiae „Helena" in lucem prodiit et Euripides eius consilio cupide arrepto iam in „Electra", ne interea sophistae operis studium et ardor evanescat, Atheniensium animos ad hoc propositum attendit, quippe quorum plurimum interfuisse censeo orationis celeberrimi artificis et artis dramaticae praeclarissimi auctoris, opera comparare. Praeterea si in „Supplicum" argumento legimus: *τὸ δρᾶμα ἐγκώμιον Ἀθηναίων* et nobiscum reputamus Euripidem in regia aula coram Archelao *χαριζόμενον αὐτῷ*[2]) „*Ἀρχέλαον*" in scaenam misisse, quae quin laudatio fuerit dubium non videtur, iam poetam tragoedias laudationibus quoque adaptasse apparet. Denique si etiam alio testimonio opus est, revoco ad Hirzeli[3]) dissertationes, qui ostendit etiam Xenophontem ad „Memorabilia" conficienda impulsum esse a Polycrate rhetore, qui *κατηγορίαν Σωκράτους* scripsit, quod ipsum quoque paegnium et sophisticum specimen erat.

Nunc ad Euripidis „Helenam" accedamus. Obiter iam percurrenti fabulam iterum iterumque ante oculos ponitur querimonia illa Helenae immeritae calamitatis, cuius summa multis modis variata et gravissimo quoque loco collocata — velut statim postquam nomen et genus dixit, *κακά* enumerat (22) — continetur verbis *οὐκ οὖσ' ἄδικος εἰμὶ δυςκλεής*[4]). Deinde semper in nostra tragoedia non Helena nefastusque eius amor et adulterium, sed ipsi dei, imprimis Iuno et Venus, summae Troiani belli miseriae auctores existimantur[5]). Postremo ut iam cetera praetermittam, ipsum finem tragoediae velim contempleris (1684sqq.). Hic enim Theoclymenus, ardentissimus ille Tyndaridis procus, quem, cum illa non solum turpissime eum deceperit et aufugerit, sed etiam remiges eius necandos curaverit, iratum vel ira potius furentem in Helenam exspectamus,

[1]) Publice igitur et palam cives de hac *καινῇ Ἑλένῃ* certiores fiunt; ergo vel eo Verralli opinio refutatur dicentis (45 et 61) „Our Helen, a Midsummer-Night's Dream, was composed for a private recitation in a remote island". Vide Scotti refutationem (Classical Quarterly 1909, III, 178).

[2]) vita Euripidis. Nauck III, 5.

[3]) Rhein. Mus. 42 (1887) 192sqq et „Der Dialog" I 142sqq.

[4]) 42sq.; 53sqq.; 66sq.; 79; 81sq.; 117; 135; 164sq.; 199; 223sqq.; 250sq.; 27[illegible]; 281sqq.; 363; 614sq.; 694; 717sqq.; 926; 1100; 1147sq.; 1293; 1506sqq. (Steiger 203).

[5]) 22; 28; 31: 41sq.; 238; 242; 261; 586; 610; 674; 679sqq.; 704sqq.; 880sq.; 930; 964; 1098sqq.; 1136; 1221; Steiger 203.

mitissime ei laudem impertit, qua maior feminae inveniri nequeat (1684sqq. — Wiel. 80sq.). Qui factum est, ut Nauckius eiusque sectatores hos versus delerent; iniuria id quidem. Nam apud Euripidem deis ex machina, qui dicuntur, mortalis homo dicto se auditurum esse solet polliceri[1]). Quod si nobiscum reputabimus, iam a poeta hunc mythum eo consilio esse selectum cognoscemus, ut *Ἑλένης ἀπολογίαν* vel potius *ἐγκώμιον* faceret[2]).

De encomiis nuper luculentissime disseruit Fraustadtius. Et optime evenit, quod exstant Anaximenis Aristotelisque artes rhetoricae, in quibus de encomio accuratius disputatur (An. cap. 3 et 35; Ar. *Α* 9 *Γ* 12sqq.). Quorum praecepta in Euripidis tragoedia interpretanda respiciamus[3]), etsi hi quomodo virum praedicare opus sit, doceant, Euripides vero feminam collaudet. Attamen singula recognoscimus in nostra fabula; nam etsi „in Isocratis tantum disciplina ad magnam perfectionem absolutionemque pervenit laudandi ratio" (Fraust. 90), tamen diu priusquam „certae stabilesque encomiorum dispositiones et formae" effectae sunt, quorum „typi saepe confunduntur et continuantur" (Fraust. 75), eae rationes in usu (Fraust. 45), ergo Euripidi in promptu erant. Praecipue vero Anaximenis praecepta cum poetae a sophistis eruditi opere comparare convenit, quod is sophistarum more omnia, licita atque illicita, adhibere docet ornamenta, cum Aristoteles veram tantum proferat *ἐπίδειξιν*. Ac primum quidem neminem arbitror dubitare, quin hac in tragoedia poeta praebeat „eine Anwendung der Kunst auf ein entlegenes Gebiet, ein bewußtes, überlegenes Spielen mit dem Stoffe, quibus verbis paegnium definitur (Gercke, Hermes 32, 356); et „prosae orationis encomiorum initia paegniis continentur" (Fraust. 74). Luculentissime enim Wilamowitzius in „Heracle" (105sqq.) ostendit (vide Fritze 200) sophistis auctoribus paulatim collapsam esse Graecis deorum opinionem mythorumque sanctitatem, quam Euripides in fabulis magnificentia quadam scaenica et portentosa rerum compositione supplevit. At certiorane vestigia encomii in nostra „Helena" inveniuntur? Primum more encomiorum de Helenae nobilitate certiores facti creberrime occurrimus Spartae illi reginae, Iovis summi et Ledae filiae[4]), Dioscurorum sorori[4]), qui ut *ἄγαλμα πατρίδος* praedicantur (206);

[1]) Suppl. 1227; Androm. 1276; I. T. 1480sqq.; Ion 1607; Orest. 1670.

[2]) J. Neumann, Menelaus u. Helena in den Dramen d. Euripides. Gymn.-Progr., Zittau 1893, 13: „eine Ehrenrettung der viel bewunderten und viel gescholtenen schönen Frau."

[3]) Compara quaeso haec praecepta cum eis, quae nos eruimus ex tragoedia Euripidis.

[4]) 17; 77sq.; 214; 259; 1144; 1527; — 137sqq.; 220; 640; 1506; 1644; 1662; 1680; 1685.

et expressis verbis dicitur (702 sq.) *οὐκ ἄρα γέροντα πατέρα καὶ Διοσκούρω ᾔσχυνας* atque id vere encomiastice (Fraust. 81)[1]. Deinde Helenae *γῆ πατρὶς οὐκ ἀνώνυμος* (16) est *κλεινὸν πέδον Σπάρτης* (57; 115), floribus abundans (244; 349) bonosque praebens portus (1463 sq.) et *δῶμα* est *ὄλβιον* (725) divitiisque refertum (935)[2]. *Κάλλος* vero Helenae ut omnibus notum — et *τὸ τοῖς εἰδόσιν ἃ ἴσασι λέγειν πίστιν μὲν ἔχει, τέρψιν δ' οὐ φέρει* (Gorg. Hel. § 5) — non nisi leviter tangit (27; 237; 261; 305; 363). At eo magis vim eius ostendit, ita ut nullo modo valeat Wilamowitzi illud (Her. I[1] 144) „verblühte Tugendrose (= Ver. 53); neque enim barbarus talem uxorem ducere tam vehementer cuperet. Nam is fervidissimo reginae amore captus ex barbaro mitissimus amator et ex rege, cui omnia sunt *δοῦλα* (276), ipse pulchrae mulieris fit servus cunctis in rebus ei parens (1234 sqq.; 1285; 1419; Wiel. 74 „grenzenlose Gefälligkeit"). Quin prae tali amore omni caret sano iudicio animique praesentia et felicissimum se putat hanc feminam uxorem se ducturum esse arbitratus (1435 sqq.; Wiel. 67). Sed postquam *εὐγένειαν* et *κάλλος* commemoravit Euripides subito incidit narrationem et quasi inflectit propositum — i. e. argumenti, quod sibi proposuit, unam tantum partem amplius tractat (Fraust. 47) — „et hoc paegnii proprium est" (Fraust. 47). Nunc enim Helenae Teucri nuntio vehementissime perterritae et afflictae tantum interest Troiani belli et calamitatis culpam effugere; hunc sibi, sicut Gorgias, Euripides proponit *λογισμόν* (Gorg. Hel. § 2) et summa operis, quod sequitur, est *ὀνόματος φήμη*. Sed poeta cum talia ornamenta bonae scilicet famae in vulgari Helenae mytho non invenerit, ad id perfugium recurrit, quod postea Anaximenes in encomiorum praeceptis numeravit: *προαιρέσεων καὶ πράξεων καὶ λόγων ἐνδόξων αὔξησιν καὶ μὴ προσόντων συνοικείωσιν* (cap. 3; Fraust. 56). Sic permirum videtur *προδότιν* illam *λιπόγαμον κύνα* mariti hic esse amantissimam (595; 625; 899; 1299), ut ipsa profitetur (1426). Menelaique calamitatis magnopere misereri (49; 125; 340; 777; 791). Vehementissime enim desiderans huius reditum gravissimo afficitur dolore stimulisque amoris virum aliam possidere coniugem certior facta (574; 590). At ubi ille uxorem agnovit, gaudii lacrimis effusis virum amplexa summam fortunam iterum iterumque asseverare non desinit (Fritze 182). Quo amore omnia, quae sequuntur, moventur, ita ut hic amor, qui aliis in poetae tragoediis, velut in „Medea" et „Hippolyto",

[1]) Contra in „Electra" (1064) Helena est *Κάστορος οὐκ ἀξία*.

[2]) Oeri: Eur. unter d. Drucke d. sizil. u. dekel. Krieges. Gymn.-Progr., Basel 1905, 6: „Alles spartanische Lokale wird in freundlichem, ehrendem oder gar feierlichem Tone angeführt" = Patin 86).

perniciosissimam vim obtineat, praeclarissimas agat partes. Quin etiam nostra Helena omnia conata, ut servet maritum, ipsa pro eo mori mavult (805; Steiger 210). Ac verba res sequitur; nam Helena, ut fugae consilium ratum faciat, suam ipsa pulchritudinem Menelai gratia deformat *παρῇδι ὄνυχα φόνιον ἐμβαλοῦσα καὶ κόμας ἀποθρίσασα* (1087 sqq.; 1187 sqq.). En hoc loco quasi officinam poetae inspicere et recte laudationem cognoscere licet, qua re abire iubeo Steigeri illud (220): „Eine Komödie ist auch die Liebe und Treue zwischen Menelaus und Helena". Nam in „Oresta" *παρ' ἄκρας ἀπέθρισε τρίχας κάλλος σῴζουσα — ἔστι δ' ἡ πάλαι γυνή* (128 sq.), cui scilicet Euripides iamdudum in fabulis maledixerat; *πάλαι* mea quidem sententia consilio etiam adversus Aristophanis *„καινήν"* (Thesmo. 850) dicit poeta. Nec minus inopinata et *καινή* nobis obviam venit illa Tyndaridis *σωφροσύνη* et *πίστις* (Ar. I, 9, 1366 b) praesertim in tanta miseria et rebus adversis. Nam feminae, quae apud Homerum statim post fugam Paridi se dedit (*Γ* 445) et *πολλοῖς ἥδεται γαμουμένη* (Eur. Cycl. 181), nonne summae laudi est septendecim totos annos solam nullo coniugis nuntio oblato *ἀκέραιον λέχος* et *ἄθικτον εὐνήν* conservasse[1]) (v. 48; 795)? Vel tantae eius castitas deis curae est, ut ipse Iuppiter avehere eam iubeat Mercurium ad *σωφρονέστατον πάντων βροτῶν* (47). Sed etiam in Aegypto marito fidelis est; nam *τὸν πάλαι τιμῶσα πόσιν* (63) supplicum more (65) ardentis proci fugit amplexus eo quod misere in sepulcro Protei consedit (63 sqq.; 797 sqq.). Iterum igitur vel maxime encomium perspicere possumus. In „Troasin" enim Helenae opprobrio tribuitur, quod Menelaum reliquerit, ut liceret ei *ἐγκαθυβρίζειν τρόφαῖς* (997) et *προσκυνεῖσθαι βαρβάρων ὕπ' ἐν Ἀλεξάνδρου δόμοις* (1020 sq.), id quod re vera in „Oresta" eam facientem videmus (1426 sqq. = 1113 sq.). Hic vero ne ditissimus quidem vir ei placet (295 sqq.), cuius divitiae propterea statim a Teucro commemorantur (68 sqq.; vide Aristophanis parodiam Thesm. 871). *Ὕβρις* enim illi — „der gebildeten Königin"[2]) —, *βαρβάρου γάμος* videtur (785; 833). Propterea aperte poeta laudantem facit Theoclymenum eius constantiam verbis (1230) *πιστὴ γὰρ εἶ σὺ σῷ πόσει φεύγουσά με* et curantem, ne viri mortis nuntio commota mortui Menelai gratia ipsa sibi afferat manus (1395 sqq.), *ἃ γενναία γυνὴ δράσειεν ἂν ποθοῦσα τὸν πάρος πόσιν* (Tro. 1013 sq.). Pari quoque erga matrem, fratres, filiam excellit fide et amore, ut ipsa

[1]) Contra in „Oresta" (573 sqq.) filius matrem punit et interficit, quod *πόσιν προὔδωκε κοὐκ ἔσωσ' ἀκήρατον λέχος*.

[2]) Firnhaber, Euripides Helena: Zeitschr. f. Altertumswiss. VI, 1839, 203.

dicit[1]), parique utitur misericordia adversus eos, qui Troiani belli calamitatibus infelices sunt facti[2]), cum contra aliorum malis gaudeat in „Oresta“ (1122). Nec vero hoc laudis satis est Euripidi. Nam quis est, quin admiretur huius Helenae erga deos pietatem, quae imprimis ex precibus apparet[3])? Quid quod etiam *σοφία* eius et *φρόνησις* (An. 35, Ar. I, 9, 1366b) multis modis praedicatur, quam rursus poeta aperte nominat[4])? Neque enim solum in consiliis dandis prudentem se praebet, quas partes libentissime mulieribus tribuere Euripidem minime ignoro, sed delego ad Teucri colloquium et duas illas stichomythias, quibus Theoclymeno captiosissime interroganti summa respondet animi praesentia. Minime quoque *πιστότης* omittitur (622 sq.). Ac nonne *ἀνδρείαν* (An. 35, Ar. I, 9, 1366b) vocemus, quae mortis periculum tam audacter subire non vereatur[5])? Nec minore utitur urbanitate et dexteritate, — etiam ab Aristotele (*A*, 9, 1366b) *πραότης* laudanda iudicatur — cum Teucro vehementissime ac temere increpanti mitissimam se praestat et sic tantum colloquendi facit copiam[6]). Sed maxime puto mirandum esse illam *μαργὸν καὶ ἀναιδῆ κύνα* in nostra tragoedia tam anxie curare, ne qua iniqua sui oppida percurrat fama. Cuius plurimum interest redire in Graeciam, ut popularibus se non esse impiam adulteram, sed fidelem coniugem persuadeat atque id non tantopere sua gratia, sed ut *ἐκδῶται θυγατέρ', ἣν οὐδεὶς γαμεῖ* (933; 282; 689). Neque aliter intellegenda est illa mortis consideratio (298; 841), quod non est „*θεατρικόν*“ (Steiger 211), sed, ut ex „Hecuba“ (568 sqq. = I. T. 321 sq.; Or. 1060 sq.) discimus, honesti et ingenui hominis officium. Sic quantum discrepant ab eis, quae aliis locis ab Euripide de Helena dicuntur, versus illi summam eius laudem continentes spectatoremque maxime moventes (262 sqq.). His enim illa turpissima libentissime contentam se fore forma affirmat, dummodo Graeci oblivione obruant *τὰς νῦν κακὰς τύχας*. Ad quae si summam Tyndaridis innocentiam et integritatem respiciemus, quam expressis verbis poeta per *εἴδωλον* pronuntiat (608 sqq.), et ipsa iterum iterumque asseverat gloriata, qui veram Helenam norint, *πάντας φίλους*

1) 1426; Wiel. 12: „zärtliche, tugendhafte Gattin, liebende Mutter, Tochter, Schwester“; 123 sqq.; 200 sqq.; 217 sqq.; 280 sqq.; 684 sqq.

2) 78; 109; 196; 231; 362; 370; Steiger 210 sq.: „gefühlvolle Helena“.

3) 228; 244; 1093 sqq.; Lind. 110: „hohe Grad von Unschuld und Frömmigkeit“.

4) 1528; Wiel. 71: „bewunderungswürdigste Besonnenheit und Gewandtheit des Geistes“.

5) 298 sqq.; 353; 835 sqq.; 1602 sqq.; Ver. 49: „virtuous wife“ = Steiger 212.

6) 78 sqq.; G. Günther: Grundzüge d. trag. Kunst, Lpz. 1885, 187: „liebenswerte Helena“.

sibi esse (314), iam inveniemus hic ab Euripide summam atque perfectam uxorem repraesentari semperque aperte laudari[1]).

Euripidem vero laudationem Helenae confecisse nonne etiam eo confirmatur, quod iam nonnulla ex eis artificiis adhibita invenimus, quae Anaximenes et Aristoteles paulo postea inter encomii praecepta receperunt? Ac primum quomodo illae *αὐξήσεις πράξεων* (An. 3; Ar. *A* 9 1368a: *ὑπεροχὴ τῶν καλῶν*) comparentur diligentius inspiciamus. Primum igitur Anaximenis praeceptum continetur verbis (3) *ὑπ' αὐτοῦ κατεργασθὲν ἢ δι' αὐτοῦ πορισθὲν ἢ ἐκ τούτου ἐπισυμβαῖνον ἢ ἕνεκα τούτου γινόμενον ἢ οὐκ ἄνευ τούτου ἐπιτελούμενον.* Quae quamvis non tam lucide digesta — oratoris enim est et *τέχνης* auctoris — tamen a nostro quoque poeta expressis verbis proferuntur, velut Helenae gratia imprimis omnia fere, ut ita dicam, fieri videmus, quae in fabula narrantur[2]). Commonet quoque nos semper poeta, sicut in encomio fieri solet (An. 3; Ar. *A* 9 1367b: *πολλάκις πεπραχότα*) *ὡς πολὺν χρόνον ἔπραττεν*[3]) et *μετὰ τούτων, μεθ' ὧν οὐδεὶς ἄλλος*[4]). Denique nonne simillimum Anaximenis verbis *ὡς εἰ πάντες ταύτῃ ἴσως ποιοῖμεν, εὐδαιμονοῖμεν ἄν* Theoclymeni est dictum (1687: id quod magis etiam apparet ex „Troadum“ versibus 1031 sq. et 1056 sq.)?

Deinde commonent illi oratorem, ut orationem per *συγκρίσεις* exornet (An. 3 et 35; Ar. A 9 1368a). Quo artificio in nostra fabula saepius utitur Euripides, ita ut longum sit singillatim enumerare. Propterea delego tantum ad Teucri illam comparationem verae et vanae Helenae (158 sqq.): quantopere ea Helenae laus augetur! At argumento ipso aliae praebentur cumulationes, frequentissimas dico querelas — misericordiae optimae coniugis et laudis gratia adhibitas —, quibus immeritam se pessima sorte implicari autumat[5]). Hyperbolice enim Teucer omnes propinquos propter ipsius infamiam sibi manus attulisse nuntiat, hyperbolice quoque ortus *τέρας* et filia *πολιὰ παρθενευομένη* ducitur (256 sqq. — 283; Or. 65 sq.). Quod idem consilium sequitur poeta, cum Troiani belli calamitatem aterrimis depingit coloribus (109; 196; 231; 362; 370). Denique, ut breviter comprehendam, quae dixi: excepto Theonoae oraculo ne unus quidem gratus et acceptus reginae obtingit nuntius,

1) Scott, l. l. 161: „a model of wifely virtue“. Wiel. 80; Steiger 203.

2) 52; 73; 109; 190; 609; 806; 970; 1113; 1135; 1234; 1254; 1281; 1417.

3) 112; 476; 566; 625; 645; 651; 896; 1035; 1232; 1384; 1650.

4) <*ταῦτα*>: tali scilicet condicione: Ar. A, 9 1368a: *τὰ ἐκ τῶν χρόνων καὶ τῶν καιρῶν.* — Sic etiam illa Helenae purgatio (286) intellegenda est. Laborat enim illa temporum et rerum calamitatibus, non ipsa scelus commisit, ergo *οὐ διὰ τύχην, ἀλλὰ δι' αὐτήν* est bona (Ar. *A*. 9 1368a).

5) 22; 53; 79; 106; 117; 133; 191; 201: aliae permultae.

immo omnia scelera ad eam deferuntur (1147sq.). Attamen, quamvis *πάντ' ἔχουσα δυστυχῆ*, est *καὶ ἀτυχοῦσα μεγαλόψυχος* — et hoc est vere encomiasticum (Ar. A 9 1367b; Firnhaber l. l. 7).

Sed etiam afferre, *ἃ μηδεὶς πρότερον εἴρηκεν*, eius est, qui encomium elaborare studet (Isocr. Hel. 15). Sic nusquam nisi hic Achilles, pulcherrimus ille fortissimusque Graecorum, inter procos habetur (98sq. — Ver. 94). Et quid sibi vult innocens ille Paris minimeque reprehensus, cuius potius miseret Menelaum ut trium dearum certamine leto dati (692)?[1]) Encomii natura poscitur, ut ex Isocratis „Helena“ cognoscimus, qui artificiosissime id largius explanavit (§ 41sqq.). Et cur hac sola in tragoedia Menelaus Agamemnonis locum obtinet[2]), nisi ut Helenam potentissimo Graecorum duci nuptam collocare possit Euripides? Nunc quoque recte quare poeta Stesichoreum illud *εἴδωλον* repetiverit, intellegimus, de quo infra pauca dicam. Nec minus iam in „Helena“ nostra notae res significantur tantum, quod praeceptum apud Aristotelem reperimus (*Γ* 16, 1416b): Obiter procorum clarissimorum fit mentio (98; 846) eorumque iuris iurandi, cum sponte sua heroas ad Troiam secutos se esse Menelaus autumat (395). Adumbratur quoque tantum nuptialis illa ditissima et felicissima Helenae pompa (639; 722). Contra vehementissime vituperantur oracula, quippe quae falsae huic Helenae opinioni subvenerint — et hoc encomii maxime proprium est (Anax. 3 et 35). Rursus vero non deest illa „apotheosis in conclusione laudationis exhibita“ (Fraust. 66). Est enim aliis in Euripidis fabulis deus, qui loquitur, consuetudine quadam coniunctus cum homine; nostra vero in tragoedia ipse Iuppiter, non ut pater Helenae — id in fine operis non commemoratur — sed ut *θεῶν ὕπατος* (1661; 1676 = Andr. 1269; 1676) per fratres Helenae id curat. Denique non mediocre argumentum laudationis apparere puto ex illa *παλιλλογίᾳ* (An. 35; Ar. *Γ* 14, 1415a; Fraust. 69) in conclusione adhibita, quae, ut postea Anaximenes postulat[3]), sententia illa de mulieribus prolata finitur (1686). Nam portentosa illa compositione, quae *ἀναγνωρισμὸν* sequitur, prius poetae laudationis consilium obscuratum est; quod ne is, qui legit vel audit fabulam, obliviscatur, loco quam maxime importuno poeta hanc *παλιλλογίαν* inseruit, qua Helenam praedicat *ἀρίστην σωφρονεστάτην θ' ἅμα* et *εὐγενεστάτης γνώμης*. Ceterum velim minime neglegas etiam hic *κάλλος* omitti, quod omnibus notum et etiam adulterae Helenae proprium est.

[1]) Choro est Paris *αἰνόγαμος Ἀφροδίτης* tantum *πομπαῖσιν* (1120).

[2]) Hartung, Euripides Werke, Lpz. 1850: Helena, Ann. 356.

[3]) *παλιλλογήσαντες τελευτὴν ἤτοι γνώμην ἢ ἐνθύμημα παντὶ τῷ λόγῳ ἐπιθήσομεν* (35). — *χαίρετε* (1686) secundum Verrallium (66) „addresses women of the chorus“. At quis subito, cum antea Theoclymenus Dioscuros allocutus sit, haec verba ad chorum dicta esse suspicetur? Praeterea in responso mortalis ubique cum deo ex machina tantum solet colloqui (I. T. 1475sqq.; Ion 1606sqq.; Suppl. 1227sqq.; Andr. 1273sqq.), et persaepe dualis et pluralis confunduntur (Kühner, Griech. Grammatik² II, 62sqq.) — Wiel. 80sq., cf. Or. 1083.

Ergo si totam Euripidis „Helenam“ contemplamur, poetam id operam dare intellegimus, ut quam celebrat, laudando omni modo efferat. Nostra enim in tragoedia melius paene quam ex ipsorum sophistarum praeceptis et operibus imprimis cognoscimus, quomodo encomii causa „bona fingantur, quae non exstant“ et „mala facta“ omnino „dissimulentur“ (Fraust. 88). Nam tota fabula — exceptis eis quae *ἀναγνωρισμὸν* sequuntur, de quibus infra — ne una quidem obiurgatio vel convicium in Helenam veram convertitur. Quin etiam summum illud opprobrium, adulterium dico, eo quod *εἴδωλον* adhibuit poeta, plane interimitur. Profecto quaecumque prodit in scaenam persona, aperte Helenae laudem pronuntiat[1]). Re vera aequalibus hanc Euripidis fabulam laudationem Helenae visam esse etiam Aristophanis testimonio confirmatur. In „Thesmophoriazusis“ enim *καινὴ Ἑλένη* ludibrio habetur. Qua re? Nonne apparet comico *εὐγενείας* praedicationem et inauditum mariti amorem et castitatem Helenae nova atque ridicula videri, quod etiam ex „Andromedae“ parodiae comparatione manifestum est (859; 866; 890; 900; 913)? *Ἐξαπατᾷ* enim Aristophanis opinione Euripides spectatores, sicut in „Thesmophoriazusis“ *κηδεστής* facit (892).

Laudationis proprium etiam stili genus est. Nostra enim quoque in tragoedia „rationi laudandi sermo accommodatur“ (Fraust. 45). Sic adiectivorum superlationes, sicut in encomio fieri solet, frequentissime usurpantur[2]). Atque „molestum fere flumen et cumulationem verborum et locutionum laudibus abundantium et abundantiam figurarum et locutionum rhetoricarum[3]), quis est quin inveniat? Ceteris enim in fabulis Euripidis hae non tam crebro reperiuntur (c. i. 25, 1). Ergo et ex materiae tractatione et ex compositione ac forma laudatio cognosci potest.

[1]) Teucer 160; *ἄγγελος* 720; Menelaus 1293; chorus 1506; Theoclymenus 1230. Iam vero *εἴδωλον* non nisi ad Helenam purgandam et celebrandam adest (608sqq.).

[2]) 41; 47; 72; 393; 468; 565; 594; 595; 625; 636; 719; 804; 899; 1299; 1528; 1632; 1641; 1684; 1686.

[3]) Fraust. 69 et 47. — Plato: Menex. 235a = Anax. 35. — Bergk III, 560.

Quae quoniam eruimus restat, ut aliquane similitudo inter ambas inveniatur „Helenas“, Gorgianam dico et Euripideam, inspiciamus. Sophistae illius „Helena“ est *ἀπολογία ὑπὲρ τῶν ἐκείνῃ πεπραγμένων* (Isocr. Hel. 14), re vera *ὑπὲρ τοῦ εἰς τὴν Τροίαν στόλου* (Gor. Hel. § 5). Ecce par poetae opus; inflectit enim is, ut rhetor ille (c. s. 18), subito consilium et id tantum spectat, ut Helenam neque Troiani belli auctorem neque omnino adulteram ostendat[1]). At hac in re superat iam magistrum, quod etiam virtutes laudat (Reich. I. 7), cum opprobria, quae ex fuga efficiuntur, refutat. Neque tamen est perfectum encomium; nam si id studuisset poeta, cur non recurrit ad ea, quae Tyndaridi iam in „Andromacha“ (680) et „Troasin“ (919) laudi tribuerat? Optime enim Isocrates his excusationibus et laudibus usus minime ignoravit summam Helenae fore laudem, si eam auctorem Graecae fortitudinis et imperii, cui barbari subiecti essent, praedicaret (Hel. § 49sqq. et 67sq.). At Gorgias *ἀπολογίαν* tantum *τοῦ στόλου* ediderat idque encomion censuerat, sic etiam Euripides sophistae exemplum respiciens par opus conscripsit. Deinde molesta fere illa querimoniarum cumulatio (c. s. 16) — re vera est prior tragoediae pars una magna querimonia — quid aliud est nisi summa Gorgiani operis ubique oblata: *δίκαιον οἰκτῖραι ... ὡς ἀτυχοῦσαν* (§ 7 l. 3; l. 8; l. 10; § 15; § 19), quam Euripides longius tantum explanavit praesertim in dramate *ἔλεον* movente? Nam rectissime Thielius (l. l. 242) observavit: „Das Motiv des Mitleiderregens stammt aus der attischen Prozeßtechnik“. Certe, ut in sophistae paegnio, in priore „Helenae“ parte actio fere non invenitur, sed, ut ita dicam, de fuga tantum, quae videtur, et de calamitatibus ex ea natis disputatur. Profecto hanc utrique esse summam — pellecto *κακῇ τοῦ ὀνόματος* Helenae *φήμῃ* ad defendendam feminam — et Euripidi ipsa Gorgiae verba ob oculos versari ex locorum similitudine apparet[2]).

1) Iterum haec iam Reichius II, 56 adumbrat: „. . . Die Übereinstimmung in der Argumentation der euripideischen und gorgianischen Helena“ . . .

2) Confirmationis causa pauca mihi liceat proferre:
G. § 2: *παῦσαι τῆς αἰτίας τὴν κακῶς ἀκούουσαν.*
E. 614sq.: *φήμας ἡ τάλαινα Τυνδαρὶς ἄλλως κακῶς ἤκουσεν.*
G. 6: *Ἑλένην τῆς δυσκλείας ἀπολυτέον.* — E. 1506sq: *δύσκλειαν ἀπὸ συγγόνου βάλετε.*
G. 2: *ψευδομένους ἐπιδείξας.* — E. 882: *γάμους ψευδονυμφεύτους.*
G. 2: *ὁμόφωνος καὶ ὁμόψηφος.* — E. 926 = 81: *Ἑλένην γὰρ οὐδεὶς ὅστις οὐ στυγεῖ βροτῶν.*
G. 21: *μῶμον ἀδικίαν.* — E. 281: *ἀδίκως ... τἄδικον ... ἐμόν.*
G. 20: *πάντως διαφεύγει τὴν αἰτίαν.* — E. 615: *οὐδὲν αἰτία.*
G. 7: *Ἑλένη βιασθεῖσα καὶ πατρίδος στερηθεῖσα καὶ φίλων ὀρφανισθεῖσα ἐλεηθείη ἄν.*

Atque in fine paegni Gorgias *ἀφεῖλε δόξης ἀμαθίαν*, parique modo tragicus nuntium dicentem facit in prioris partis fine (716sqq.): *σὺ γὰρ ... πόνων μετέσχετε, σὺ μὲν λόγοισιν ..., νῦν δέ* — postquam Euripides mea tragoedia infamiam dissolvi — coniunx es laude digna. Et cur *κάλλος* in dramate nostro *δυστυχές* vocatur? Gorgianam puto „Helenam“ respici: est enim *κάλλος ἔξω τῆς ἀρετῆς* et *τὰ ἔξω οὐ δικαίως ἐγκωμιάζεται*, sed *κλέπτεται* (An. 35). At in sophistae operis initio *κάλλος*, cuius vim largius explanat laudibusque effert Isocrates in sua „Helena“ § 54sqq., Helenae summas agit partes, quin quasi unicum divini parentis patrimonium iudicatur. Qua re sophistae ostendit poeta opus esse Helenae laudationem non *τοῖς ἔξω τῆς ἀρετῆς*, sed *τοῖς ἐν αὐτῇ* contineri, quae re vera sunt virtutes laude dignae.

Denique quam similes sint ambae Helenae stilo atque usu verborum, breviter recenseamus. Quod etsi perdifficile est, quia Gorgias summam stili ipse demum ex poetarum operibus hausit (Reich. II), tamen eius figuras hac quidem in fabula frequentissime redire ostendi potest[1]). Velut alliterationis[2]) usu abundat drama. Nec minus raro adhibentur verba, quorum et initium[3]) et exitus[4]) similem habet sonum, et paria paribus adiuncta[5]) (Cic. orat. 175). Est etiam innumerabilis fere numerus exitus paris[6]).

E. 269: *συμφοραῖς ἐγκείμεθα ... πατρίδος θεοί μ' ἀφιδρύσαντο εἰς βάρβαρ' ἤθη καὶ φίλων τητωμένη ...*
G. 4: *πολλὰ σώματα συνήγαγεν.* — E 970: *πολλὰ τῆσδ' ἕκατι σώματα.*

Reperiuntur quoque Gorgiae operis *τύχης βουλήματα* et *θεῶν βουλεύματα* et *ἀνάγκης ψηφίσματα*. Etiam Euripides animam corpori opponit (160), sicut Gorgias (Suess. l. l. 25).

1) Gorgiae stilo quae propria sunt, ex dissertationibus Blassi (64sqq.), Thieli (l. l. 223sqq.), Drerupi (l. l. 258sqq.), Navarri (Essai sur la Rhétorique Grecque, Paris 1900, 86sqq.) collegi. Propter multitudinem exemplorum laudo tantum plerumque singula quaedam et his addo, quae in „Electra“ et „Orestae“ colloquio et certamine verborum (El. 596–698; 1011–1098; Or. 491–604; 1069–1152) et „Phoenissarum“ cantico (202–260) inveni, qua re apparebit, ceteris in fabulis poetam talia stili ornamenta Gorgiae propria aut non, aut raro adhibuisse.

2) 8; 130; 152; 289; 405; 478; 597; 629; 773; 857; 900; 1027; 1239; 1389; 1405; 1529; 1665; — E.: 612; 665; 676; 686; 1088; — Or.: 512; 524; 553; 594. Ph.: 213; 226.

3) 185; 239; 297; 384; 427; 478; 484; 540; 554; 611 ... 915; 1077; E.: 609; 651; 1030; Or.: — Ph.: 204; 215sqq.; 246.

4) 213; 434; 513; 524; 676; 690; 861; 930; 1293. El.: 606; 1013; O.: 558. Ph.: 237.

5) 402sqq.; 410; 427; 497; 657; 681; 718; 980; 1050; 1259; 1402; 1619. E.: 1094; O.: 510; 589; 1027; Ph.: —

6) 712sq.; 723sq.; 732sq.; 773sq.; 786sq.; 910sq.; 922sq.; 930sq.; 948sq.; 966sq.; 991sq. E.: 600sq.; 612sq.; 636sq.; 662sq.; 668sq.; 687sq.; 696sq.; 1044sq.; 1050sq.; 1063sq.; 1089sq. O.: 495sq.; 511sq.; 586sq.; 597sq.; 1079; 1112sq.; 1143sq. Ph.: 209sq.; 216sq.; 229; 241sq.; 254sq.

Creberrime quoque annominationes[1]) occurrunt et figurae etymologicae[2]). Ecce quot Gorgiana brevia compositionis membra et omnino concisae compositiones[3]), nec non isocola[4]), quin isocola paronomasiam continentia[5]). Saepe quoque *ὑπερβάτοις*[6]), quae dicuntur, ornata est oratio neque ulla copula — et hoc Gorgiae maxime proprium est — coniunguntur sententiae[7]). Quid quod creberrime contraria illa Gorgiae contrariis relata, quibus non procedit oratio, sed impeditur, inveniuntur[8]) et interrogationes, quas longum est singillatim enumerare? Nec deest apostrophe[9]), nec hypophora (752). Item reperimus apud Euripidem Gorgiae illas periphraseis[10]) nec non adiectiva pro substantivis exhibita[11]) pariumque quasi ludum verborum[12]). Praeterea et chiasmo[13]) utitur poeta sophistae accepto, et anaphora[14]) et anaclasi[15]), quae vocatur. Atque quod ego Gorgiae in deliciis esse animadverti, complures dico eum afferre voces, quas repetit largius explanans per *μέν — δέ*[16]). Euripides quoque operi inseruit (716). Denique

1) 449; 513; 1253; 1293; 1405. E.: — O.: — Ph.: —.

2) 35 sq.; 72; 121; 387; 557; 785; 1633. E.: 686; 1011 sq.; 1055 sq. O.: 1124. Ph.: —

3) 22 sq.; 139 sq.; 217 sqq.; 293; 298; 442; 471; 672; 1194; E.: 645. O.: 550 sq. Ph.: 242 sq.

4) 395 sq.; 397 sq.; 463; 471; 506 sqq.; 553; 625 sq.; 661 sq.; 829. E.: 620; 681 sq. O.: 552; 563; 1135. Ph.: —.

5) 139; 198 sq.; 434; 564; 575; 599 sq.; 631 sq.; 703 sq.; 708. E.: — O.: 1128 sq. Ph.: —.

6) 127; 130; 390; 484; 498; 764. E.: 1026; O.: 600; Ph.: —.

7) 23; 72; 74; 92; 143; 219; 463; 503; 589; 619; 622; 674; 759; 806 ... 1194. E.: 668. O.: 559; 562; 591; 1130. Ph.: 214; 247.

8) 120; 156 sq.; 395; 432 sqq.; 731 sqq.; 763; 792; 829; 920; 922 sq.; 987; 1012; 1185; 1256; 1690 sq. E.: 686; 690 sq.; 1016; 1077 sq. O.: 502; 546 sq.; 602 sq.; 1070; 1095 sq. Ph.: —.

9) 348; 616; 625; 691; 711; 876; 939; 962; 969; 977; 1220. E.: 671 sqq.; 682; 694; 1061. O.: 507; 526; 534; 544; 585; 1082. Ph.: 226; 256.

10) 1; 42; 147; 462; 617; 776; [1096; 1243. E.: —. O.: 1077. Ph.: 223 sq.

11) 27; 254; 281; 297; 361; 508; 562; 920; 1002. E.: 639; O.: 502; 524; 1088. Ph.: —.

12) 35 sq.; 137 sq.; 160; 611; 696; 709; 718; 759; 842; 1050; 1052; 1259; 1389; 1403; 1440. E.: 1094. O.: 510; 538 sq.; 589; 1095; 1115; 1120; 1052. Ph.: 229 sqq.

13) 87 sq.; 111 sq.; 229 sq.; 395 sq.; 557 sq.; 1229; 1256; 1636. E.: — O.: 546 sq.; 1120. Ph.: 204 sqq.

14) 279; 348; 364; 483; 561 sq.; 602 sq.; 661 sq.; 695; 703 sq.; 716 sq.; 797; 944; 1107 sq.; 1200 sq.; 1416 sq. E.: 675 sqq. O.: 595 sqq. Ph.: 243 sq.; 247.

15) 433 sq.; 739 sq. E.: —. O.: —. Ph.: —.

16) Velut § 7: *καὶ λόγῳ καὶ νόμῳ καὶ ἔργῳ λόγῳ μὲν αἰτίας, νόμῳ δ' ἀτιμίας, ἔργῳ δὲ ζημίας τυχεῖν.* E.: —. O.: —. Ph.: —.

et Gorgias et Euripides libenter eandem vocem repetunt in diversis compositionis partibus[1]), et praecipue verbum, quo finitur sententia, in sequentis initio ponitur[2]). Quod si nobiscum reputamus iam cur et nostrae et Gorgianae „Helenae" textus non mediocriter depravatus (Herm. 5) sit apparet. Ac si *„παύω ψόγου σε"* tali forensis sermonis modo adhibitum (1263) et *„μέγα δύναται"* (1358) et *„φήμην"* pro „Ruf" (614) non nisi hic ab Euripide afferri, at in sophistae specimine legi[3]) considerabimus, nemini dubium fore arbitror, quin Euripidem ad „Helenam" conficiendam incitaverit eique in componenda fabula ante oculos versatum sit Gorgiae *Ἑλένης ἐγκώμιον.* At si sophista fugam Helenae concedere debuit et id tantum spectare, ut ingenii artificiis paegnii causa eam excusaret, poetae tragoediam scribenti id sufficere non potuit. Illi quidem licuit orationis magnificentia rei tenuitatem dissimulare huic vero femina opus erat spectatorum misericordiam et exspectationem movente. Propterea nunc quid Euripides hoc impulsu Gorgiano adductus confecerit videamus et ad argumenti interpretationem, deinde ad mythopoiiam transeamus.

ALTERA PARS.

Argumenti interpretatio.

Theoclymeni, Aegyptiorum tyranni, ante regiam Phari[4]) sitam Protei patris sepulcrum exstructum est. Hic in prologo Helenam supplicum more sedentem et genere, patria, nomine ipsius allatis statim calamitates suas deplorantem[5]) invenimus, quarum origo exstitit trium dearum certamen illud notissimum pulchritudinis, quo victa Iuno Paridi praemium ademit, cum ei pro vera Helena simulacrum daret[6]) Atque postquam tristem condicionem consideravit, malorum multitudine commota Helena,

1) 264 sqq.; 402 sqq.; 477 sqq.; 486 sqq.; 718; 739 sqq.; 1048; 1631. E.: 1017; 1051. O.: 505 sqq.; 559 sq.; 576 sq.; 583 sq.; 1076. Ph.: —.

2) 127 sq.; 460 sq.; 560; 1634 sq. E.: —. O.: —. Ph.: —.

3) § 2 *παῦσαι τὴν κακῶς ἀκούουσαν τῆς αἰτίας*; — § 8 *λόγος μέγας δυνάστης*; — § 2 *ὀνόματος φήμη* — vide Stephanum: Thesaurus Linguae Graecae s. vv. et Beckium: Euripidis tragoediae fragmenta epistolae. Lpz. 1788 index s. vv.

4) Pro uno habet poeta Aegyptum et Pharum insulam (c. i. 50, 2).

5) Ipsa tantum novit, propterea ipsa tantum narrare potest.

6) Quae prologi verba viri docti non recte interpretabantur versus eicere vel transponere conati (Arnim 17 sqq.). Bene enim sententiae procedunt. Nam certamen illud re vera Helenae *κακόν* videtur, quod ex eo omnia mala eius nata sunt (676 = Andr. 274 sqq.). Sed poeta simulacro

ut Hercules (Her. 1301) et Andromacha (404), ipsi quoque innocentes causis deliberatis, exclamat, „τί δῆτ' ἔτι ζῶ"; (56) et mori statuit. Sed in tempore recordatur oraculum[1]) Mercuri cum Menelao se Spartam reversuram esse polliciti ac ne alteri nubat cohortati (56 sqq.). Quae cohortatio eo magis est necessaria, quo Proteo mortuo re vera novum Helenae conubium petit Theoclymenus, qui nunc castissimo eius tutore sublato ardentissimum amorem non iam celat, sed vel vi eam uxorem ducere conatur. Qua re marito fidelis ad Protei regis sepulcrum, quod a barbaris pro sacro habetur (801), supplicum more confugit — artificium Euripidis libentissime in fabularum initio adhibitum (Leo 21), ut statim spectatores misera primi actoris condicione moveantur.

Ouae dum loquitur Helena, Teucer in scaenam prodit regiae splendorem monologo brevi (Leo 24) — solus enim advenit — miratus. Qui propter fratris mortem inultam a patre in exsilium missus — Apollinis iussu Cyprum proficiscitur Salamina novam conditum[2]) et cum conspiciat mulierem tam

adhibito cum belli Troiani causa caduca esset, aliam investigare coactus est, quam ex Cypriis mutuatus facete cum certamine coniunxit. *Συμβαίνει* enim = concurrrit (1007 = Xen. Hell. I, 2, 17) cum hoc Iovis consilium i. e. usus eo Iuppiter ut terrae levandae consilium ratum faceret, simulacro illo, non per veram Helenam, bellum conflavit (c. i. 52). Troianum. Et ex hoc Iovis proposito cum Iunonis machinationibus coniuncto cetera Tyndaridis mala prodierunt. Nam secundum id ipsa ut praemium belli (42), sicut Homerus ceterique poetae cyclici, qui vocantur, tradunt, Troiam non venit, sed Iove auctore in Aegyptum est transportata a Mercurio, ut Menelao fidem servaret (44 sqq.). Sic vero 1. sola, Graeca femina, in barbara terra procul a patria et propinquis vitam tristem degit (49 = 273 sqq.), cum interea 2. Menelaus infelix et Graeci Helenam adulterum sua sponte secutam Troiam fugisse arbitrati repetere student, qua re 3. etsi innocens — de iniustis his calamitatibus Helenae a Iunone tributis velim legas Wiel. 9 sqq. — fit causa crudelissimae caedis ad Scamandrum coortae et ignominiam nominis habet (53 sqq. = 270 sqq.).

1) Hoc oraculo et cohortatione vel maxime opus est (contra Arnim. 71), nam Electra quidem (Soph. El. 303) parentibus resistere et secura Orestam manere potest, quippe quem ipsa foverit et Clytaemestrae e manibus ereptum ad amicos servaverit; Helena vero nisi Mercurius promisisset, fidem Menelai reditus ipsiusque salutis, qua freta adversarii conubium sperneret, non haberet.

2) Conditorem vero urbis a deo non statim plane de ratione et loco certiorem fieri, sed gradatim a compluribus vatibus institui Heinzius (l. l.) in Aeneae exemplo luculentissime demonstravit. Sic quoque Teucer singulas res accuratius a Theonoa in Aegypto, ergo prope Cyprum habitante comperire cupit, cuius vaticinium ubique notum est (13 = 821 *καλοῦσιν* = *φασίν* ferunt, dicunt i. e. omnes Aegyptii et Graeci eius vaticinationem egregiam norunt et hoc nomen ei hac de causa indiderunt (c. i. 39, 2). Et cum sit Theonoa regis filia, Telamonius ex aedium magnificentia regiam hanc esse suspicatus, etsi non comperit, tamen hic regis filiam habitare et Helenam, quae ei huic domui propinqua videtur, aditum ad vatem habere facile credere potest.

similem Helenae, perniciei Graecorum, statim summopere obstupescit[1]) et de ipsius malis admonitus, summo dolore et iracundia commovetur ita ut vix se contineat, quin feminam interficiat. Sed contingit Helenae, ut, quae Troiae et in Graecia gesta sint, comperiat[2]). Troiam scilicet decem annos obsessam

1) Num propterea Teucri partes comicae sunt putandae (Steiger 221)? Ipse Troiae Helenam conspexit (118 sqq.), istam Helenam, cui ipsius et Graecorum mala debentur (73 sq.). Nunc cum hic ei obviam fiat mulier Helenae simillima, — neque enim frandem deorum novit — prae ira praesenti (*ὀργῇ εἶξα μᾶλλον* 80) omnem urbanitatem deponit et id tantum spectat, ut ulciscatur mala — iam in Sophoclis „Aiace" Teucer est fortis, bonus, verus frater et amicus, at animo nimis indulget. Ex rebus igitur adversis Teucri haec verba sunt interpretanda, neque mihi persuadere possum auditoribus tam tristem Helenae condicionem et hominis infelicissimi errorem comicum esse visum.

2) Si usquam, hic expositione accurata opus est. Mirabilissima enim est Helenae narratio, quam ipsa (117 sqq., 574 sqq.) et spectatores veram ducere vix possunt (Wiel. 18). Propterea a locuplete teste et mirabilia dicta sunt confirmanda et nimia Menelai simulacri fiducia praeparanda. Quemnam igitur eligeret poeta? Graecorum enim optimi vel mortem occubuerunt ut Achilles, Aiaces, Patroclus, alii, vel certas habent sedes, sicut Neoptolemus, Diomedes. Unus tantum relinquitur, Teucer, — procus quondam Helenae (Apoll. bibl. III, 10, 8) — qui et Troiano bello intererat et in Graeciam revertit eamque iterum reliquit Cyprum profectus. Qua re casu utitur poeta, quem libentissime tragicos in fabulis componendis adhibuisse constat. Nam forte Teucer illo temporis momento advenit, quo Proteo mortuo Helena Theoclymeni insidias fugiens in sepulcro consedit. At summam eius partium recte iam Firnhaberus animadvertit, cum dicit (l. l. 13): „Teucer repräsentiert gleichsam die Ansicht Griechenlands über Helena" i. e. vice Helenae obtrectatorum fungitur. Ipse enim eius adulterio, quod videtur, summa miseria implicatus simulatque conspicit feminam adulterae simillimam, protinus pessimis verbis increpat neque discedit priusquam iterum Helenam detestatus est — simul hac comparatione Helenae magnanimitatem — laudationis scilicet gratia — optime illustrat poeta. Nam Teucer, sicut Helena nulla sua culpa infelix, vehementissime saevit in hostes, Helena contra etiam adversus eos clementem atque urbanam se praebet et sic tantum colloquendi facit copiam (c. s. 21). Quae opinio etiam comparatione nostri loci et I. Tae. versuum 492 sqq. confirmatur. Ambae enim scaenae simillimae sunt: primum nomen et patria peregrinorum, tunc Helenae sors et reditus, deinde patris et propinquorum vita explorantur. Quo magis mirum videri potest illic sodales mirari virginem tam bene Graecas res novisse et Agamemnonis sortem deflere (660 sqq.), hic vero Teucrum, quamvis multo minus ambigue Helena ipsam horum casibus laborare affirmet (133; 139), id omnino non curare — secreto enim has querellas dici secundum I. Tae. versum 550 verisimile non est. At illic filius necati loquitur, qui statim omnem ipsius sortis curam et misericordiam sacerdotis cognoscit et miratur, hic contra Telamonius Menelao et Helenae est inimicissimus, ita ut omnia scelera adulterae impertiat et prae hoc odio cetera non curet — fortasse Pyladis opinione usus (I. T. 670 sq.: *τὰ βασιλέων παθήματα ἴσασι πάντες ὧν ἐπιστροφή τις ἦν*). Immo hae interrogationes Tyndaridis ei opportune offeruntur, ut in hac muliere dehonestanda iram ipsius miseriae recordatione auctam expleat; quin quasi solamini ei est Atridam et coniugem, tantarum calamitatum auctores, interisse; horum tantum sortem non deflet neque curat (126 sqq.). Et breve

his septem annis expugnatam esse et Menelaum uxorem crinibus correptis abduxisse at nondum domum reversum pro mortuo haberi. Et certior facta Teucrum propositum Theonoae consulendae perficere festinantem admonet, ut aufugiat huius terrae regem Graecos interficientem[1]). Atque Teucer fretus Theonoae verbis: „*πλοῦς αὐτὸς σημανεῖ* i. e. recta via de errare non poteris" abit Helenam detestatus, mulieri bona precatus — velim memineris summam hanc verae Helenae laudationem (c. s. 21)[2]).

Nunc Helena sola relicta[3]) dolorem coram Teucro aegre dissimulatum lacrimis obortis threno, qui dicitur, levat, qua

---

tempus in Graecia moratus magnitudinem malorum, quae Helenae fugae debentur, audivit, et cum mortem Dioscurorum et Ledae compererit, etiam hanc feminae sceleratae crimini dandam censet et, quod ipse sibi persuasit, ira commotus pro vero refert. Re vera Dioscuros ante Troiae excidium cum Apharidis pugnantes morte moccubuisse constat (Cypria fgm. 9. — Bethe P. R. E. s. v. § 21, cui viro doctissimo assentiri nequeo contendenti Euripidem respicere fabulam illam, qua fratres ad Aphidnam pro sorore cum Theseo proeliantes interisse feruntur; nam tunc Helena Spartam rediit; ergo hunc eam novisse nuntium opus erat (Isocr. Hel. § 39). Illud *ἀδελφῆς οὕνεκα* (142) videlicet nimiae Teucri irae debetur, quod idem de Ledae mortis nuntio dicendum est, de qua una tantum fama erat: in deas est recepta (P. R. E. s. v). Sic vero Teucer, quod studet, amplissime assequitur: vera enim Helena adest et in hanc tanta crimina proferuntur. Et hunc Graecum, qui quasi omnia opprobria Helenae in unum coniungit et Helenam vehementissime detestatur et odit, primum post septendecim annos videt Tyndaris, et hic ei pro cunctis popularibus esse debet — sortis sane iniquitas, quae summa misericordia digna videtur. Ergo non Theonoa vel una e choro (Firnhaber 13) expositionem dare potest, sed *εἷς τῶν ἀθλίων Ἀχαιῶν* (85) Helenae obtrectator, ut quam aterrimo colore miseria pingatur et Helena summam ad desperationem adducatur. Qua re nulla laetitia, nulla iusta victoris et Troiae expugnatoris elatio Telamonii verbis inest sed mors omnia continet: Aiax, Achilles sunt mortui. Troia cecidit, Achivi et Troiani perierunt. Quin Teucer ipse nimio huius miseriae odio superatus ampliora referre supersedet — sublime poetae artificium: audiverunt spectatores, quibus rebus actio sequens continetur.

[1]) Bene igitur poeta Theoclymeni partes ad Teucrum removendum adhibuit neque est, cur hic Helenae verbis diffidat et invita ea remaneat, cum tanta pericula immineant.

[2]) Sed dixerit quispiam Verrallium (58) secutus ridiculum esse Helenam, quamvis barbarus Graecos necet ipsique obtrectet, securam cum Teucro colloqui, quin etiam mox (385) sepulcrum relinquere, ut Theonoam consulat. At primum aperte dixit Helena Theoclymenum ad venationem esse profectum (153 sq.). Tum quid magis hominum naturae (Firnhaber 11) convenit quam Tyndarida, quae septendecim annos nihil de propinquis audivit et cuius, ut ipsa dicit (277), ultima salutis ancora in Menelai reditu ponitur, prae rebus tanti momenti et in tantis animi angoribus ac morte voluntaria instante corporis salutem neglegere et a Teucro primum res in Graecia et Troiae gestas, tum a Theonoa ultimum solamen comperire velle? Nonne Iphigenia et frater in pari periculo idem faciunt (I. T. 467 sqq.)?

[3]) Chorus enim nondum adest et alter e colloquentibus abiit. Propterea hic, ut libenter post dialogum (Leo 31), ad monodiam refugit Euripides; nam opus est et chori adventum probabilem reddere (Leo 10) et

querimonia audita virginum captivarum (192) chorus in litore lina lavans (179) scaenam intrat causam clamoris quaesitum[1]). Qui priusquam interrogavit, Tyndaris sicut Electra (Soph. E. 254 sqq.), doloribus lacerata caris virginibus et sociis — nam ipsam se esse servam barbari regis sibi persuasit (275) — causam aegrimoniae aperit commo, quo ipsam se auctorem excidii Troiae et mortis Menelai, Ledae, Dioscurorum nominat. Cognoscit chorus ingentem miseriam et temere ei verba excidunt: *οὐδέποτ' ἔτι πάτρια μέλαθρα . . . ὀλβιεῖς* (227 sq.). Tunc exclamat Helena maerore fere insana facta et memoria felicia illa tempora Spartae acta repetit calamitatumque originem breviter — in prologo enim iam audiverunt spectatores — deflet. Nunc chorus reginam consolatur, qua re epica oratione loquitur, et monet ut quam facillime miseram sortem ferat. Quo solamine illa tranquilla reddita ipsa quoque epica oratione casum suum recenset et condicione considerata iterum exclamat *τί δῆτ' ἔτι ζῶ*; et mortis consilium capit[2]).

Sed nunc nemo adest, qui felici nuntio reginam hoc consilio arceat, et haec, sicut Aias (Soph. A. 815 sqq.), moritura videtur. Propterea chorus actoris partes subit eamque denuo

---

primae dramatis personae mores declarare, scilicet quomodo expositionis verbis tacta sit. Ita hic iterum Helenae laudatio apparet; nam quam aliis Euripidis in fabulis hominum praecipue propinquorum sortem non curantem videmus (Tro. 1002 sqq.; Or. 1122; 1135), hic omnia scelera simulacro tribuenda ipsa sibi impertit (198).

[1]) Brevis igitur est parodus, quae in commum transit, quam Euripidis consuetudinem recte animadvertit Fritzius (175).

[2]) Cognovit Fritzius (178) morem esse tragicorum, ut in primo epeisodio, quae modo lyrica oratione protulerint, epica repetant. Recte id quidem; nam primum homines magnitudine malorum victi queri solent, tum sedato animo paulatim tranquille sortem ratione lustrare et consilia capere. Sic nostra quoque Helena facit. Quod mortis propositum verbis „*τί δῆτ' ἔτι ζῶ*"; demonstratum Steigero (211 sq.) comicum videtur. Iniuria ut opinor, quod ipsa Helena nos docet. Eius enim id tantum interest in patriam redire et infamia liberari (595 sq. = 262 sqq.; 287 sqq.; 926 sqq.). Et in prologo queritur — est hic quasi primus miseriae gradus — nominis ignominiam et Menelai labores, Graecorum iram et Theoclymeni amorem reditui suo impedimento esse; sed morte desistit freta Mercurio in gratiam cum Menelao se redituram et Spartae habitaturam esse pollicito. Nunc vero — hic est alter miseriae gradus — a Teucro didicit simulacrum pro vera Helena esse ductum, ita ut ne sola quidem in patriam redire possit (287 sq.) — neque enim scire potest simulacrum in aethera dissolutum iri (605) — et, quae ultima salutis ancora fuerit, Menelaum non iam vivere, ergo nullam spem reditus esse. Sic nihil ei relinquitur nisi invisi barbari conubium, quod ut vitet, mori statuit. Quod vero Arnimius (71 sq.) miratur Helenam Teucri verbis confidere, — cui ut in Graecia et Troiae morato non puto esse cur diffidat — dei vero oraculum falsum existimare, delego ad similia haec Euripidis inventa I. T. 76 sqq.; 711 sqq.; Or. 276; 285; El. 979; quid quod Sophocles ipse, poeta pietate insignis Orestam dubitantem facit, *Ἀπόλλων εἰ καλῶς ἐθέσπισεν* (El. 1425)?

consolatur et, cum ipse adiuvare nequeat, verbis suis diffidenti ultimum refugium praebet. „I“, inquit „Theonoam vatem roga mariti fatum, et ego tecum introibo, *γυναῖκα γὰρ δὴ συμπονεῖν γυναικὶ χρή*“ (329)[1]. Quo consilio libenter accepto Tyndaris mariti infelicis, quem non reversurum putat, sortem recordata iterum in dolorem adducitur et denuo cum choro commo queritur ac verum amorem professa — laudationem reminiscere — ipsam sibi manus se illaturam esse iurat, si obierit Menelaus; ergo serium est mortis consilium et a poeta expressis verbis cum actionis progressione coniunctum (835; c. s. 31, 2). Atque postquam chorus ad Theonoam consulendam abiit reginae optima precatus Helena sola relicta iterum libere dolori indulget et totam miseriam ipsius pulchritudine effectam monodia recenset. Est enim quam maxime sollicita et sic pulchritudinis miserae exempla singularia afferens meminit mulierum Graecarum, quas quamvis formositate diram in miseriam adductas tamen felices pro matre et se praedicandas existimat. Nam „quanto felicior tu“, exclamat, „Callisto, felicior tu quoque, Meropis filia, quae ursa et cerva factae hominum amoris dolores et calamitates, quas mater in me vidit et hoc maerore victa ipsa se necavit, non conspexeritis“[2]. Qua monodia finita ipsa quoque regiam intrat.

[1]) Externo igitur subsidio opus est. Quidnam faceret poeta? Menelaus enim nunc iam ipse prodire et uxoris angorem finire nequit. Nam eius naufragi et dolo deae decepti partes magis novae et inauditae sunt, quam ut sine accurata expositione spectatoribus offerantur. Quam neque Helena, quippe quae Menelai sortem ignoret, neque Theonoa dare potest, qui auditores oculis videre opus est, quomodo ipse has novas partes agat et errorem simulacro motum tulerit et laturus sit — nam hoc plerorumque prologorum Euripideorum consilium est, ut spectatores statim diligenter cognoscant, quomodo prima dramatis persona novam sortem ferat, et sic sequentia facile percipiant —, si modo poetae interest veram novi Menelai imaginem animo effingere eos mentemque ad fabulae actionem attendere. Neque enim omnino intellexissent Atridae mores et rationem, si alterius partis res et opiniones ignorassent. Propterea solum Menelaum induci necesse erat, ne a choro omnis actionis progressio disturbaretur — caduca enim fieret repudiatio et recognitio, quod item de Theonoae dicendum est adventu. Ergo et auxilio externo et deserta scaena opus est. Qua de causa novam personam finxit Euripides, regis filiam mortui, eique vatis partes attribuit (c. i. 31, 2sq.) et cum non esset cur scaenam intraret, eam ab Helena consuli fecit et refugit ad artificium, quo iam in „Alcestide“ usus est: chorus actorem abeuntem comitatur. Qui etsi servus est, tamen non est, cur offendamur. An non liceret servis dominum aliquid rogare carumque hominem adiuvare? Immo gaudet Helena, quod in tanto rerum discrimine socias habet (331sq.), nam pessima se audituram esse arbitratur. Sunt enim servae ei carae (330, 225), et servae amant eam (314 *πάντες φίλοι μοι ἐν δόμοις*); sic mirum non est eas valde cupere cognoscere, quae sors feminae dilectae instet.

[2]) Ergo non comica est haec monodia, sed ea summa Helenae sollicitudo et fere insania declaratur. Solent enim homines infelices aliena mala

Interea Menelaus solus, absentes invocans[1]) mendicorum more apparet — iterum casu utitur Euripides (c. s. 29, 2). Qui generis nobilitate et rerum gestarum laude, quo maior sortis iniquitas videatur, relata adversam suam fortunam commemorat, quam malorum iusuetus nondum recte cognoscere et perferre potest. Ipse enim praeclarissimus Troiae expugnator, nulla sua culpa a dis semper a patria prohibitus et in mari huc illuc, quasi alter Ulixes, iactatus, nunc in extremas angustias est adductus, quod naufragio sola coniuge servata omnes fere socios omniaque ad vitam necessaria perdidit, ut ne vestem quidem habeat, qua corpus velet; pannis tantum ex naufragio arreptis pro vestimento utitur, cuius rei eum, potentissimum regem nuper tot milibus Achivorum imperare solitum, maxime pudet, qua re excusat hunc taetrum habitum ipsiusque tam sordide vestiti adventum[2]). „In publicum enim“, inquit, „non prodissem, nisi necessitas me cogeret; sed prae pannorum pudore *ὄχλον* quidem *εἰςπεσεῖν* veritus postquam socios servatos et in antrum coactos uxorem meam custodire iussi, ex huius domus splendore victum me capturum esse suspicatus huc me contuli“[3]).

cum suis comparare et ipsorum miseriam graviorem esse dicere illorum. Ceterum hac monodia quasi compensatur chori canticum, quod nunc vel maxime cani opus est (I. T. 392sqq.), sed cani nequit, quia chorus abest (c. i. 56).

[1]) Leo 26, qui hanc orationem interpretatus disposuit (31).

[2]) Verrallius (85) has Atridae partes comicas iudicat: „Menelaus jests about his clothes“. Sed primum solet Euripides, „ein Meister in der Versinnlichung von Leiden und Leidenschaften“ (Günther l. l. 190), ut animae motiones miseria afflictae recte describere spectatorumque misericordiam movere eosque rei novitate attentos facere possit, libenter heroas mendicorum vice fungentes inducere. Tum videtur consuetudo eius esse, ut tristem eorum condicionem probabilem faciat et excuset. Nam Philoctetes quoque vestis squaloris excusationem affert: *ἥ γὰρ ἦν ἡμῖν ἐσθὴς πρότερον, ὑπὸ τοῦ χρόνου ἀνήλωται* (Nauck. Tr. G. F. 615). Cuius rei causa facillime cognosci potest. Athenienses enim heroas Homericos — maiores suos — adhuc candidos illustresque norunt et sicut illi, ipsi sunt acres suae gloriae et potestatis (vide Menelaum 392 et 395) aestimatores, qui gravissima pericula et labores subire malint, quam ipsorum auctoritatem imminui sinant. Euripidi vero ob causam, quam modo declaravimus, ad fabulae actionem mendicis opus est, et cum ex mythis fere tantum tragici materiam et argumenta fabularum hauriant, nil ei restat, nisi ut heroas mendicos reddat. Quod Athenienses non accepissent nisi iusta causa allata — sic Aristophanis ludibrium (Ach. 412sqq.) interpretandum est — qua re tragicus heroas mendicitatem excusantes inducit (c. i. 52). Simul maior fit Helenae miseria, nam ante oculos ei ponitur maritus ipsius gratia in tantas calamitates adductus (791).

[3]) Casu illo ipso temporis momento advenit Menelaus, et tamen poeta eius adventum optime probavit. Opus enim est (c. s. 33, 2) Menelaum et ipsum venire, ut Helenae recognoscendae fugaeque consilii capiendi facultas detur, et ignarum coniugis commorationis, qua re poeta *ὄχλον*

Cum nemo adsit, magna voce petit, ut recipiatur, quo clamore audito ostiaria exit et ante portas cum aspiciat Graecum. Theoclymeni mandatum (443) verita gravissime increpat huius audaciam, quin vel manu eum removet. Sed tandem mulier Menelao calamitatibus eius misericors facta nuntiat hanc esse Protei Aegyptiorum regis mortui regiam et in hac inde a Troiani belli initio morari Helenam Tyndarida, Iovis filiam, Spartanam[1]). Quamquam pauca ei nuntiat, cum timeat, ne dominus interveniat; qua re viro amplius roganti seram obicit. Denuo poetae artificium apparet: satis enim Menelaus ad actionem sequentem est praeparatus; praeterea sine dubio sermone progrediente nomen dixisset et ita se ipsum prodidisset.

Sicut Helena post Teucri, ita Menelaus post ostiariae abitum solus relinquitur; illic femina miseriae gravitate incitata queritur, hic vir ingenio et ratione nuntios mirabiles explicare studet. Neque vero diu in hac re deliberanda desudat[2]); habet enim simulacrum, cuius possessione gaudet.

εἰσπεσεῖν αἰσχυνόμενον (415) eum finxit, ne inde nuntium acciperet neve actionis progressio deleretur. Propterea Atrida postquam caute socios uxorem tueri iussit, ne ab incolis terrae barbarae caperetur — regionem pervagari eis non licet, ne a tyranni custodibus conspiciantur — ipse ut decet bonum ducem, militum saluti consulit. Recte enim intellegit verisimile non esse barbaros militi cuidam ignoto eiusque sociis naufragis cibum praebituros esse, at si ipse proficiscatur, neminem barbarum praeclaro suo nomine audito sibi Troianorum victori victum negaturum esse arbitratur (501 sqq.). Sic quod Steigerus „Bettelprivilegium" vocat comicumque censet (214), quam maxime necessarium est ad tragoediae actionem.

[1]) Dixerit forte quis, quod hic proferat poeta, iam neminem ignorare; recte, at spectat tragicus id, ut Helenae verba, ut supra a Graeco, hic ab Aegyptia confirmentur et spectatores quam maxime animos attendant, quomodo Atrida novos illos et improvisos nuntios accepturus sit. Ac ne huic quidem dialogo comicum quicquam inest. Nam Menelaus potentissimus quondam rex, qui servum sibi imperare minime passus esset, fati iniquitate in tantam miseriam est adductus, ut nunc mendico similis ab ostiaria removeatur. Qua re — et quid magis hominum naturae convenit? — summo dolore affectus exclamat: *τὰ κλεινὰ ποῦ 'στί μοι στρατεύματα*; — nimirum non ad mulierem repellendam (ut in „Andromacha" 458 sq.), sed pristinae potestatis et auctoritatis in tam turpi condicione memor (457). Certe ipse Steigerus concedit: „In dieser lächerlichen Lage bewährt er sich freilich als der *πολύτλας*" (213; legas velim Fritzi Menelai defensionem 179 sq.). Item ostiariam fidam eroque obsequentem vidimus (contra Ver. 53); at est mulier — Graecam suspiceris Wiel. 31 — et mulierem decet *οὐ συνέχθειν, ἀλλὰ συμφιλεῖν* (Soph. Ant. 523). Et nunc cognoscimus cur Euripides feminam ianitoris partibus fungentem induxerit. Vir enim regis mandata perfecisset et ero Graeci adventum nuntians actionem perturbasset, femina vero misericordia infelicis naufragi mota peregrinum dimittit neque quicquam nuntiat barbaro (c. i. 54).

[2]) Hanc orationem non a Menelai condicione discrepare neque parodiam esse vorsuti Ulixis (Steiger 214), recte iam Wielandius animadvertit (32 sq. — Leo 33). Sed solus est Menelaus, neque quisquam eum adiuvare

Menelai sortem curans Helena abiit, Menelai sortem curans — cognoscis fidem et amorem (c. s. 18 sq.) — iterum scaenam intrat. Prior vero chorus redit brevique cantico fata Atridae a Theonoa narrata nuntiat, quae Helena tunc epica oratione repetit[1]). Vivere enim maritum comperit et vivere maritum summum solamen ei videtur, prae quo gaudio omnia cetera oblita — sicut Xuthus in „Ione" (541) — Menelausne ex Aegypto aufugiturus esset quaerere neglexit[2]). At subito homine sordido conspecto statim insidias Theoclymeni recordata ad sepulcrum confugit hunc ferum virum se petere captamque regi traditurum

---

vel ei suadere potest. At necesse est et eum in scaena manere, ut recognitioni sequenti intersit, et spectatores cognoscere, quibus cogitationibus nuntio tam mirabili accepto motus Atrida remaneat — sic aperte spectatoribus ante oculos ponitur cum miratio tum firma simulacri fiducia eius, qua re artificiose tragicus nunc statim Helenam cum eo congredientem facit. Qua de causa poeta ad morem Homericum refugit; bene enim Leo monet (33): „Dies ist von allen wirklichen Monologen der Tragödie der erste und einzige in dem der Sprechende nach der homerischen Art durch Überlegungen zum Entschlusse gelangt". At quid ageret Menelaus in tanto rerum discrimine, qui ne aut fame periret — est enim in insula barbara neque naves habet — aut a rege necaretur periculum erat? Non ignave (Steiger 216 sq.), sed prudentissime dominum exspectare statuit. *Δισσὰς γὰρ ἔχει φυλάξεις* (505 sq.) neque aliter propositum socios adiuvandi perfecisset: Post sepulcrum se abdit et animum regis perscrutari statuit; nam si clemens est ille, victum adipiscetur, sin autem crudelis, clam etiam tunc ad socios fugere ei licebit (505 sqq.). Propterea in Protei sepulcrum considit, quod ut Helenam ita ipsum, *ναυαγὸν ξένον, ἀσύλητον γένος* (449), tuetur et inde caute sequentia spectat. Quo artificio iam in „Ione" usus est tragicus; iam hic enim Creusa in aram Apollinis confugit et in hac morata tuta *ἄγγος* crepundiasque a Pythia allatas conspicit et sic filium recognoscit (1280 sqq.).

[1]) Menelai fatum consulentes ambo abierant, quod etsi ab ipso Menelao iam comperimus, tamen denuo ab ambobus discimus. Sic enim etiam Menelai nuntii mirabiles et novi — ut supra Helenae — imprimis errores maritimi et naufragium confirmantur. Ambo vero cum paria audiverint, paria eos referre opus est. Et ut in omni parodo, ita hic quoque chorus canit, Tyndaris contra cogitationibus suis dedita ipsa secum reputat oratione, quae audivit — monologorum genus libenter ab Euripide adhibitum (Leo 28). Sed autumat Leo (31): „Diese hintereinander in doppelter Form, lyrisch und episch, gegebene Mitteilung ist sehr merkwürdig." Equidem contra nos facile hoc intellegere posse puto ex poetae consilio laudationis. Studet enim tragicus hac comparatione quam maxime declarare, quomodo uterque Theonoae verbis commotus sit. Nam choro Atrida curae non est; ut infelicissimus quisque ei est tantum *ταλαίφρων* (524). Quanta vero est Helenae laetitia, quantopere inter gaudium et curam versatur. Non temere equidem opinor poetam orationem finivisse verbis: *ἄμοι, πόθ' ἥξεις; ὡς ποθεινὸς ἂν μόλοις* (540). At Helenam una cum choro advenire, ut in „Alcestidis" epiparodo Admetum, tragicus astute non fecit; neque enim intra tot mulieres tam facile lustravisset Atrida Helenam et chorus, ne peregrinus dominae dilectae insidias pararet veritus, sicut postea Theonoam tuetur, etiam nunc hanc circumvenisset et ex oculis Menelai abripuisset, qua re recognitio interempta et tota actio deleta esset.

[2]) Caduca enim fieret actio fabulosa, quae sequitur.

esse arbitrata[1]). Contra Menelaus bene post sacrum abditus tanta similitudine uxoris perterritus et aufugere eam ratus id relinquit feminaeque viam intercludit orans, ut maneat. Quo magis Helena perturbata non prius fugere desinit, quam ad sepulcrum pervenit. Tunc demum tranquille alter alterum contemplatur et Helena statim summo cum gaudio recognoscit maritum. Menelaus vero, qui decem annos pro simulacro luctatus septem annos cum eo vixit, verae coniugi, cum nullum testimonium veritatis aut fidem habeat, non confidit eamque repudiat[2]).

Externo igitur auxilio opus est (Wiel. 38)[3]). Propterea forte illo ipso tempore — tertium casu utitur tragicus — nuntius a sociis missus Menelaum iam diu quaerens advenit eique nuntiat coniugem defensione Helenae prolata in aethera evanuisse. Nunc Atrida ostiariae et coniugis verbis satis praeparatus certissimum verae Helenae testimonium cum habeat,

---

[1]) Nunc igitur, periculo instante, periculum meminit, quod supra (30, 2) prae dolore et angore animi non curavit, sicut hic prae timore Menelaum non acriter contuetur. Ecce ars poetae: Helena maritum non procul abesse certior facta exclamat: *πόθ' ἥξεις; . . ὡς ποθεινὸς ἂν μόλοις* (540) et statim desiderium expletur, at aliter atque cupit: occurrit enim Menelaus ipsamque repudiat. Hoc est praecipue Sophoclis artificium (O. R. 911 sqq.; El. 634), quo magis doleat homo spe adempta.

[2]) Recognitio simillima est illi Ionis et Creusae (1395 sqq.). Helena enim sicut Creusa ex sacro loco tuto virum — illa *ἄγγος* — inspicit, et utraque propinquitatis pignus se habere rata summo gaudio affecta sacrum relinquit virumque amplectitur, at utraque reicitur. Sed nihilo minus et Menelaus et Ion, ille similitudine, hic iure iurando motus copiam narrandi mulieri faciunt. Huius et sequentis scaenae venustatem et gravitatem, quam longum est singillatim ostendere, recte iam declaraverunt Wielandius (35 sqq.) et Fritzius (182).

[3]) Sic ad deum ex machina, qui vocatur, recurrit poeta media in fabula (Wiel. 38). Theonoa enim prodire nequit, quia eius sola verba non valuissent. Nam res tam mirabilis ipsa spectatoribus ante oculos est ponenda. Qua de causa Euripides nuntium — ipsum quoque testem nimiae simulacri fiduciae, qui Menelaum uxorem repudiare potuisse vel maxime probari facit — omnem sociorum mirationem declarantem induxit, at minime comice. Iterum enim hic est locus communis Helenae encomii, ut ex Isocratis „Helena“ (§ 49 sqq.) intellegimus: Nam est nuntius vetus Tyndaridis „probus fidusque“ (Herm. 15) servus, qui ardentissime dominam veneratur (711 sqq.). Qui cum conspiciat eam, adhuc errore simulacro moto implicatus eiusque verba perperam interpretatus apologiam verae Helenae non intellexit, immo Graecos Tyndarida reprehendisse putat; quam ob rem eam alas habentem huc ad maritum volasse arbitratus exclamat: „Nunc non alterum (*αὖθις* 620) te nos vituperare sino, quod frustra pro te labores susceperimus (620 = *μάτην* 603); te enim hostibus eripuimus.“ Ecce ars poetae: a socio coniuges coniunguntur, a socio iterum sodales de recognitione certiores fiunt et admonentur, ut animum ad communem fugam attendant (735 sqq.).

laetus uxori fidae castaeque reconciliatur[1]), et Helena hoc gaudio satiari nequit. Sed haec laetitia Helenae in dolorem convertitur, postquam Menelaus quomodo huc venisset percontatus eam de miseria commonuit; tamen marito caro libenter expedit, quae scire eum necesse est, at breviter tantum adumbrat, quia spectatores iam norunt. Nunc demum, postquam chorus ambobus animum iniecit, nuntius silentium rumpere et orare audet, ut se quoque fortunae et gaudii participem faciant. Ac laetissime nunc servus, qui infamiam dominae aegerrime tulisse putandus est (703; 720 sqq.; 726 sqq.), innocentia et castitate eius comperta, celeberrimarum nuptiarum pompam eius se iteraturum esse promittit vehementissimeque increpat oracula et vates, quippe qui malae erae dilectae famae subvenerint[2]). Atque a Menelao socios

---

[1]) Exclamat Menelaus: „*ὦ ποθεινὸς ἡμέρα*, quod Verallius (50) „a humorous mockery“ iudicat, quia Atrida septem iam annos simulacrum obtinuerit. At velim respicias dicere regem: „*ὦ. π. ἡ., ἥ . . . ἔδωκεν*“ i. e. quantopere hunc diem desideravi, quo coniugem amplecti possem, quam ut recuperarem, tot belli labores suscepi. At di primum me simulacro deceperunt, nunc vero veram uxorem eamque praeter exspectationem castam ac fidam, summum atque perfectum coniugalis fidei exemplum, inveni. — Ceterum nobiscum reputemus hanc esse certam stabilemque agnitionis formam. Ubique enim, postquam alter se detexit, alter gaudium profitetur exclamatione, qua vel advenam invocat modo laetitiam (Aesch. Cho. 235; Eur. I. T. 827; Hel. 625), modo exspectationem (Eur. El. 587; Hel. 567) testificatus, vel diem felicem dicit (Soph. El. 1224; Eur. Hel. 623). Quam exclamationem finire solet is qui loquitur verbis *ἔχω σε*, quibus statim alter respondet verbis *κἀγώ σε* cum voce putandi coniunctis (Eur. El. 580; Ion 1442; I. T. 831; Hel. 658); ut exemplo utar (I. T. 827 sqq.): I. *ὦ φίλτατ', οὐδὲν ἄλλο, φίλτατος γὰρ εἶ, ἔχω σ', Ὀρέστα* . . Or.: *κἀγώ σε τὴν θανοῦσαν ὡς δοξάζεται.* Quae nostra in scaena saepius repetuntur; recte enim facit poeta, quod Helenam et Menelaum septendecim annos disiunctos satiari non posse fingit profitentes alterum alterum diutissime amissum recuperasse. Lege quaeso Wielandi eximiam huius scaenae laudem (40 sqq.) et Hermanni (646) formae exterioris iudicium.

[2]) Hic vel maxime laudationem cognoscimus — aliam enim causam, cur iterum loquatur servus, invenire nequeo. Nam quid sibi vult illa pompae nuptialis iteratio, quae huic loco non convenire videtur (Ver. 47)? Res ita se habet: summum et simul unicum Helenae coniugis decus et gloria erat illa pompa, cum cetera adulterio quod videtur obscurata sint. Propterea servus dominae integritate audita dicit: „Omnes illi honores, quibus tum cum integerrima et castissima sponsa ad mariti domum deducebaris, efferebaris, nunc denuo in te conferentur, et tu quasi denuo conubium inibis, quod nunc — laudatione scilicet a poeta prolata (c. s. 25) — nulla macula dedecorabitur. Nuntius enim (ut supra 36, 3), totius Graeciae vice fungitur i. e. ut servus, ita omnes Graeci Helenae innocentiam agnoscent et laeti cum ea in gratiam redibunt. Qua re hic, quasi instar totius Graeciae, Gorgiae more finit encomium (c. s. 25). Quod vero eius laetitiam in tanto discrimine rerum pravam iudicat Verrallius (47), velim tecum reputes illum omnino non cognitum habere periculum imminens. Contra ex ostiariae verbis satis concludere potest Atrida sibi coniugem ex barbara terra abripere conanti pugnam instare et sic nuntio imperare, ut socios diligenter animum

ad certamen instans praeparare iussus abit — solos enim coniuges esse opus est, ut fabulosa compositio prospere cedat. Cuius post decessum Helena mariti sortem explorat eumque calamitatum multitudine et magnitudine vehementissime commota, — ipsa enim sibi huius miseriae culpam impertit (49; 198; 383; 684) — interrogat quamdiu tales errores subierit[1]). Quod cum compererit summo lacerata dolore exclamat: „Tam longum tempus mortem feliciter vitasti et nunc hic in barbara terra letum tibi instat". Quibus coniugis verbis Menelaus, nullius sceleris sibi conscius, immo unumquemque se, praeclarum regem, benigne recepturum esse ratus maxime perterretur. Sed certior factus a regina Theoclymenum regem ipsius conubium petere, ipsam vero castam mansisse[2]) et ut fugiat monitus

---

ad hoc discrimen attendere iubeat (*ὅπως εἰς ἓν ἐλθόντες τῆς τύχης ἐκ βαρβάρων σωθῶμεν* 742sq.). Qua re *τοῦτ' ἄρα σκοπουμένους* in tempore nautas advenire (1537) probatur. — Sed dixerit quispiam: „qui hic oracula vituperare potest nuntius, quae ad fabulae actionem plurimum valeant (145; 823; 873sqq.)? At haec vituperatio — ut Orestae illa (I. T. 570sqq.) — ex servi tantum animi affectu est intellegenda, non valet ad totam tragoediam. Quod vel eo confirmatur, quod Radermacherus [Rhein. Mus. 53 (1898) 497] diligentissime observavit: „als Verkünder einer freien religiösen Anschauung werden bei Euripides stets Hauptpersonen seiner Dramen verwendet". Cui facile concedo ex tempore „Helenae" actae haec verba esse interpretanda: Vituperat hic Euripides malos vates, quibus auctoribus cladem Siculam deberi putat.

[1]) Hoc loco nimis puto Euripidem „I. Tae." (902sqq.) exemplum secutum Helenae non diligenter probavisse interrogationem. Illic enim Pylades monet, ne prae gaudio salutis consilium obliviscantur; sed respondet ei Iphigenia: *οὐδέν μ' ἐπίσχει πρῶτον πυθέσθαι* ... — sane hominis imprimis feminae naturae aptum est propinqui dilecti sortem explorare (= Hel. 763.) In „Helena" contra nemo est, qui de periculo aperte commoneat et imperet, ut fugae consulant coniuges, et tamen Helenae angustiae, quas prae laetitia neglexit, in mentem revocantur Menelai verbis 739sqq.; at nihilo minus regina plane id non curat et secura maritum errores interrogat — audax sane consilium. — Quos errores cum Menelaus ipse in prologo iam narraverit, hic noti silentio praetermittuntur et ceteri strictim tantum significantur. Sic quoque, quod mirum videri potest, ne naufragium quidem, quod supra tam longe explanavit, Helenae refert Atrida, et cum satis multum audiverint Helena et praecipue spectatores, iterum artificium adhibet poeta — isdem fere verbis — quo iam Teucri decessum probavit; Uterque enim amplius se narraturum esse negat, rex verbis *δὶς δὲ λυπηθεῖμεν ἄν* (771), Teucer *οὐ διπλᾶ χρῄζω στένειν* (143). — Ceterum hac interrogatione Helena non denuo tempus commorationis suae audire studet, sed eius interest accipere, quamdiu maritus dilectus sua scilicet gratia mare pererraverit summosque labores passus sit.

[2]) Num quod Atrida his verbis uxoris fidem non habet, est cur offendamur (Steiger 210sq.)? Minime puto; nam Menelaus septendecim annos convicia tantum Helenae impudentiae audivit et quasi assuefactus est eius adulterio et infamia magis, quam ut tam facile opinione inveterata desistat. Nunc vero certum fidei pignus habet Helena. Ipsius enim verba confirmantur misera condicione, propterea marito stramenta in sepulcro

uxorem, cuius gratia Troiam expugnaverit, relicturum se esse negat. Ambo igitur fugam perpetrare constiuunt. quae ut prospere cedat, *δεῖ μηχανῆς τινος* (813). Nunc igitur incipit fabulosa illa compositio fabulae, quam in „I. Ta." adhibitam invenimus[1]). Neque vero fuga contingere potest, nisi Theonoa[2]), fatidica Theoclymeni soror, adducitur, ut adventum Menelai taceat.

---

posita monstrat sic se tyranni nuptias fugere professa. Ergo hic *στιβάδες* necessariae sunt ad Tyndaridis castitatem comprobandam, cum contra in „Andromacha", quamquam similis est Andromachae condicio, desint, quia ad actionem non valent. Teucer vero et Menelaus non prius ea animadverterunt Helenamque rogaverunt, quod mirabiliora compererunt, quam ut prae eis utrique vacaret res explorare, quas audire neutrius interest. — Praeterea Helenae satisne de conubio ipsius certior sit factus roganti vir respondet *οἶδα* (794) ex aenigmate ostiariae et Helenae verbis vera suspicatus. Re vera iterum hoc est artificium tragici nota non denuo proferendi.

[1]) Quod cum viri docti iam satis tractaverint (Bruhn, Iphigenia auf Tauris, Berlin 1894, 11sq.; Fritze 184sq.), hic tantum ea, quae nondum satis sunt explorata aut offensioni fuerunt, accuratius perlustrabo.

[2]) In huius personae partibus interpretandis valde haeserunt viri docti. Sed respice quaeso: Iam apud Homerum (*δ* 372) Menelaum propter cibi inopiam solum pervagatum adiuvat Eidothea, Protei filia, quae pro vate habetur (379sqq.) — iam hic igitur summa eius in Menelao servando est auctoritas (*δ* 364 *καί μ' ἐσάωσεν* = Hel. 1004 *σώζειν Μενέλεων πειράσομαι*). Quam virginem Aeschylus in „Proteo" *ὑποκοριστικῶς Εἰδώ* nominavit (Nauck 212), sic etiam Euripides illam Eidotheam ab Homero mutuatus (c. i. 50) pro tenera infantis aetate *ὑποκοριστικῶς Εἰδώ* vocat. Nunc vero cum studio etymologiae a sophistis accepto impulsus nova nomina explicare soleat, hoc loco „Eido" falso cum *εἶδος* coniungit et verbis *ματρὸς ἀγλάισμα* explicat i. e. infans (*ὅτ' ἦν βρέφος* 11) tali pulchritudine excellebat, ut parentes hac forma commoti puellam „Formosam" appellarent. Sed aliud Eido Euripidea habet ministerium: propterea secundum consuetudinem suam (c. i. 42, 5), quas partes agat Eido, statim nomine declarat poeta; pergit enim: „cum adolevisset puella tanta sagacitate florebat, ut ab hominibus Theonoa appellaretur, *τὰ θεῖα γὰρ τάτ' ὄντα καὶ μέλλοντα πάντ' ἠπίστατο* (13; 822). Nam vates est Eido in Euripidis fabula. Tragicus vero et vult spectatores cognoscere ab Homero se prompsisse eius personam — inde *Εἰδώ* — et tamen auditores novo eius in ipsius tragoedia officio assuefacere —, qua de causa iterum iterumque novas virginis partes eorum in mentem inducit, quod, quo melius perficiat, novum nomen consilio suo aptum ei dedit (10; 145; 321; 515; 529; 820; 857). Hoc sibi vuet duplex Theonoae nomen. — Scaenam vero intrat Theonoa, ut veritatem vaticinationis sciscitetur — sic quoque Thoas (I. T. 1152) et Helena (Or. 71) percontandi causa inducuntur. Scit enim Menelaum adesse et simulacro interempto uxorem agnovisse (874sq.), et optime eam tunc inducit poeta, cum summis in angustiis et angoribus versantur coniuges, quo maior eius auctoritas videatur. Summum vero hoc est artificium poetae. Statim enim spectatoribus ante oculos ponitur vaticinii eius specimen — Verralli illud „she knows what has been shouted in her hearing" (101) leve est et refutatione non dignum. Quo artificio minime opus non est. Nam summas partes Theonoae vaticinatio in fabula agit; ea enim Teucri adventus probatur, Helenae mors impeditur, frater decipitur, Dioscurorum auxilium postulatur. Qua re si persona tanti momenti non prodiret, his

Quae domo egressa cum Atrida et Tyndaride communicat de Menelai reditu hodie fore deorum consilium, cuius arbitrium penes se sit[1]). Et ut quasi se liberet culpa et certamen

omnibus non moverentur spectatores frigideque acciperent tragoediam. Ergo si eos delectare et veritatis speciem excitare voluit tragicus, ei ut novam Helenam novumque Menelaum ita etiam novam Eidotheam, vatem potentissimam, auditorum in conspectum proferre opus fuit. Et quo magis scaenae gravitas et severitas augeatur, „wird das Publikum durch den Fackelzauber in Erstaunen gesetzt“ (Steiger 222). Theonae vero partes esse necessarias, iam supra cognovimus (32, 1). Nam Helenae mors voluntaria ut prohiberetur externo auxilio opus erat. Nunc vero in Homeri „Odyssea“, quae poetae nostro exemplum dedit (c. i. 50), Eidothea artissime cum Proteo coniungitur. Sic facile tragicus eam ad hoc consilium ratum faciendum mutuari potuit. Quam personam semel adhibitam artificiosissime cum ipsa actione conexuit et ex eius partibus uberrimos cepit fructus. Per eam enim Teucri et Dioscurorum adventum probari et contingere, ut frater decipiatur, iam affirmavi. Deinde interficere poterat Atrida Theoclymenum — detestatur enim Helena barbarum, cum contra Iphigenia vinculo quodam cum eo sibi non obtrectante coniungatur (I. T. 1023) — nisi soror fatidica impediret (1045 sq.); nam interimeretur actionis progressio. Sed quod multo maioris est momenti, nimia „I. Tae.“ actionis similitudo tragico vitanda erat (Steiger 223 et 226). Eo vero quod Theonoae partes fabulae inseruit, fugam difficiliorem et compositionem vividiorem reddidit. Sic enim ante regem decipiendum vatis potentissimae auxilium conciliandum est, ergo poetae Theonoam implorari fingere opus erat. Qua re tragico optima certaminis verborum inserendi facultas offertur — „ein stets wiederkehrendes Inventarstück“ (Reich. I 29) — quo Athenienses in „I. Ta.“ fraudavit. Vatis enim sine venia reditus spes non est; qua de causa ut Medeae post Aegei tantum auxilium acceptum (764 sqq.), sic Menelao et Helenae post Theonoae silentium impetratum consilia capere licet.

[1]) Hoc Theonoae arbitrium viris doctis adhuc obscurum fuit. Neque enim concedo Hartungio (l. l. Ann. 819) Theonoam propter integritatem, ut Indos viros sacros, dicere se supra Iovem esse positam; neque enim integra dici potest virgo, quae aperte mentitur (1372), neque etsi Menelai adventum fratri nuntiasset, deos impedire potuit, ne coniuges servarent: *τί γὰρ πρὸς τοὺς σθένοντας θεοὺς ἁμιλλᾶσθαι καλόν;* (I. T. 1478 sq.). Sed ita res se habet: Theonoa est vates et scit deas certantes se uti ad consilia rata facienda (*εἴθ', ἃ βούλεται Κύπρις, λέξασά σε διολέσω* 887 sq.); at scit etiam consilium fore Iove praesidente atque eum iuste et aeque esse iudicaturum, ergo coniuges servaturum (879). Qua re si ipsa iuste sententiam fert, optimo iure dicere potest se arbitram huius consilii esse, — dei enim in idem suffragium ibunt. Propterea eius oratio una tantum est sententia diverse variata: *ἔνεστι δ' ἱερὸν τῆς δίκης ἐμοὶ μέγα* (1002), ut Nerei et patris iusti suboli (1003; 941), et hanc iustitiam se debere autumat sibi ipsi (998 sq.), patri mortuo (999; 1010), fratri (1000; 1020). Se igitur aequam iudicem declarat. Et re vera est iusta; neque enim ab Helena neque a fratre stat neque preces aut minas Menelai et uxoris curat (Wiel. 55). Tali quoque sensu Helena et maritus eius partes interpretantur: amborum enim in orationibus iterum summa est: *αἰσχρὸν τὰ μέν σε θεῖα πάντ' ἐξειδέναι . . . τὰ δὲ δίκαια μὴ εἰδέναι* (923 sq. = 902; 941; 955; 959; 968; 987; 995 = Wiel. 49; Patin 83). Quod mirum in modum confirmatur. Plerisque, quin fere omnibus in Euripidis fabulis occurrit nobis *ἀγὼν λόγων*, quem Reichius definit (I, 21) „Zwei Parteien verfechten in ein und derselben Sache einen entgegengesetzten Standpunkt“. In „Helena“ vero forma tantum invenitur (Reich. I, 19 sqq.).

Helenae oratio	—	chori	3	versus
Menelai „	—	„	2	„
Theonoae „	—	„	2	„

ἀγών contra non inest. Immo utriusque oratio ex eadem condicione pronuntiatur: uterque suam — atque eandem — causam apud iudicem dicit scilicet, ut vatis silentium perpetrent et serventur. Ergo sic aenigma solvitur: Poeta Theonoam, ut re vera iudex sit et ipsius auctoritas ad certamen verborum movendum maior videatur, iustitia sua fretam arbitrium deorum consilii sibi vindicatem facit. — Ceterum hic iterum laudatio Helenae perspicitur; spectatoribus enim ante oculos ponuntur deae, Helenae miseriae auctores, et servatur Tyndaris ab aequa iudice, quae opponitur Teucro inimicissimo et Menelao amantissimo.

verborum maturet, nuntium fratri se mittere simulat (892 sq.). Quare statim Helena et Menelaus longis orationibus movere eam student, ne se prodat[1]). Adnuit Theonoa eosque cohortata, ut deos precati ipsi fugae viam inveniant, abit.

Nunc demum facultate fugae data ad consilium capiendum accedit Helena Menelaum invocans, ut Medea (764) Iovem — uterque enim adiuvare iubetur, hic cogitationibus utilibus Medeae soli consideranti missis, ille ipse suadens. Cuius consiliis[2])

[1]) Ambae orationes, specimina Euripideae artis rhetoricae, quarum compositio simillima est

Helena		Menelaus	
ἱκέτις	894—908	*εὐανδρία*	947—958
πατήρ	909—923	*πατήρ*	959—974
Helenae miseria	924—938	Menelai condicio	975—990
ἱκέτις	939—943	*εὐανδρία*	991—995,

(c. s. 40, 1) optime quadrant ad mores utriusque. Helena enim, sicut feminae convenit, flebili oratione Theonoae misericordiam movere studet, Menelaus vero — velim legas Gorgiae Palamedis defensionem, ut Verralli opinionem hanc orationem „a rant“ vocantis (104) abire iubeas — constanter, ut decet ducem fortem et Troiae expugnatorem, suo iure nixus honeste aut coniugem recuperare aut mori constituit (Wiel. 48 sqq.). Quin artificium id quidem est Euripidis. Sic enim efficit, ut ambae orationes, quae, quamvis ex eadem condicione dicantur, tamen diversis moribus contineantur, quam simillimae videantur certamini. — Concinnitatis vero gratia etiam Theonoae oratio tantopere extenditur. Quae sicut Aegeus in „Medea“, facultatem tantum fugae dat, non ipsa suadet (Hel. 1022 — Med. 725). Interemisset enim actionem fabulosam, si ipsa aut consilium dedisset aut fratrem eo adduxisset, ut sua sponte coniuges dimitteret. Contra omni culpa liberatur, neque quae Graeci in fratrem committunt, ei impertiri possunt.

[2]) Ambo Menelai consilia paria sunt Orestae (I. T. 1020 sqq.) neque abhorrere videntur ab eius condicione (Steiger 215 sq.) regionis ignari. Nam quid restat naufrago navibus amissis nisi ut aut regem necet et novis navibus potiatur, aut curru per Aegyptum fugere festinet? Quod vero Helena, ut Iphigenia, aperta mendacia profert, quae cum utriusque natura non congruere videntur, id non nostra, sed Graecorum religione metiri debemus (Fritze 184). Minime enim illis nefas, immo summae

reiectis Helena naturae regis perita, ut Iphigenia Orestae, sic ipsa Menelai miseria usa barbarum amantem falso nuntio destituere animum inducit. Menelaus igitur solum de Atridae sociis servatum se esse simulare iubetur ex naufragio, cuius panni testes sint[1]), cum ipsa mariti obitum veste mutata deflere et nave ad iusta funebria exsequenda impetrata fugae copiam facere statuat. Sed ut Orestam, sic Menelaum summam conficere opus est[2]). Atque deos miserabilissimis verbis precata[3]) — sic enim iussit Theonoa 1024 sqq. — ad consilium perpetrandum abit Helena.

Ecce nunc demum primum chori stasimum[4]), quo secundum fabulae progressionem describitur Helenae miseria et quae inde natae sunt belli Troiani calamitates reditusque fatalis Achivorum. Quibus malis motus monet chorus, ut verbis potius bellum componatur quam armis — expeditionis Siculae enim clade Atheniensium res publica nuperrime perturbata erat.

Nunc venatione finita Theoclymenus cum servis inducitur sepulcrum patris allocutus[5]). Cui desertum cum conspiciat

prudentiae videbatur barbarum a Graeca femina falli. Praeterea Tyndaris vi a tyranno retinetur — neque enim sponte sua Theoclymenus dimisisset Helenam, immo necasset Menelaum — ergo vi se defendere cogitur atque in fugae consilio capiendo ingenii, in fuga ipsa manuum vi. Et Theonoa quod mentitur, quasi Iove iubente et probante iniuriam committit, ut hac maiorem fratris iniuriam impediat.

[1]) Hic igitur (1079 sq.) aperte, cur Menelaum naufragum induxerit pronuntiat poeta.

[2]) I. T. 1051; Hel. 1073; Graecis enim mos erat, ut femina in publicum non prodiret, neque ei cum viris colloqui licebat. Propterea Menelaus fraude ab Helena inchoata — ab ea enim in colloquium inducendus est — cetera perficere cogitur. Quod ut possit in scaena manet et manere debet, quia Helenam in Theoclymeno fallendo adiuvare nequit nisi quae coniunx iam cum barbaro egit, ipse quoque audivit. Et quo melius sermonem auscultet neque a tyranno conspiciatur aut impediatur, prudenter post sepulcrum se abdit (c. s. 34,2). Qua re reicio Steigeri opinionem (222) „erschreckt verkriecht sich der tapfere Menelaus". — Quod vero Atrida summa confidentia affirmat (1075 sq.) deos labores suos esse finituros, non est iocus poetae „I. Tam." respicientis (Ver. 112), sed Menelai tamdiu nulla sua culpa a patria prohibiti pia deorum iustitiae fiducia continetur, id quod satis apparere censeo ex versibus 1441 sqq.

[3]) De precibus in fine actus positis vide Leo 29.

[4]) Quo in cantico nova profert chorus, sibique non nota. At primum ex Nostis Homericis, qui vocantur, haec materia notior erat, ut facile poeta, quod 765 sqq. adumbraverat, amplificare posset, tum tanto intervallo hoc canticum ab illis versibus seiungitur, ut non iam plane meminerint spectatores, quid illic significaverit Menelaus.

[5]) Hoc personas inducendi artificium tragicorum descripsit Leo 31. At in Theoclymeni persona interpretanda viri docti adhuc haerent, quamquam poeta ipse aperte viam indicat. Nam Euripides, ubi invenit nova

sacrum, a peregrino, cuius adventum comperit, Helenam abreptam esse rato et prae stimulis amoris paene furenti arti-

nomina, et ita eligit, ut statim, quas partes in tragoedia agat persona, vel nomine declaretur, et etymologiae studio impulsus certa explicat forma velut in „Medea" (19) *Κρέοντος ὅς . .*, in „I. Ta." (32) *Θόας ὅς* (c. s. 39, 2). Sic etiam nostro loco (9) pro *ὅτι*, quo metrum corrumpitur, *ὅςτε*, quod saepissime ab Euripide pro *ὅς* adhibetur (Stephanus l. l. s. v.), scribendum arbitror. En in Thoantis exemplo accuratius poetae consuetudinem explicemus. In „I. Ta." enim celeritate regis fuga impeditur. Propterea tragicus, cum novam eius personam fingeret, ei Thoantis nomen dedit, quod *ὠκὺν πόδα τιθεὶς εἰς τοὔνομ' ἦλθε τόδε ποδωκείας χάριν* (32 sq., i. e. a verbo *θεῖν* derivat hoc nomen). Sic etiam nostrum barbarum, cum eius partes inveniret, Theoclymenum appellavit, quia *θεοὺς σέβων βίον διήνεγκεν* — genuina enim sunt haec verba, ut ex similium locorum comparatione apparet. Ergo tales partes eum in fabula agere opus est. Re vera, quod nomen docet, re statim confirmatur. Protinus enim scaenam ingressus se praebet bonum et pium filium (1165 sqq.); pium eum quoque in deos se praestantem videmus, quorum cultum neglegi minime patitur (1244; 1430; 1681. — „Religiosität ist der Hauptzug seines Charakters." Wiel. 66). Et ex hac pietate ceterae eius virtutes originem ducunt: est enim benignus (1280), placabilis (1236), misericors (1220; 1285) amicosque libentissime adiuvat (1427) et aeque gratias refert (1234). „His behaviour to Helen is decorous and even gentle" ipse Verrallius concedit (52). Propterea chorus in eum nullum malum verbum profert, nullumque desiderium reditus pronuntiat, quia Theoclymenus est bonus rex; quo magis Helenae fides miranda est. Praeterea reminiscimini Aristotelis verba (A. P. 1453 a): *οὐ <δεῖ> τὸν σφόδρα πονηρὸν ἐξ εὐτυχίας εἰς δυςτυχίαν μεταπίπτειν, οὔτε γὰρ ἔλεον οὔτε φόβον ἔχοι ἂν ἡ τοιαύτη σύστασις.* At amat barbarus Graecam feminam et haec — adulatur poeta Graecorum superbiam — eius pernicies est. Hic igitur primum, quantum eruere possumus, in fabula Graeca poeta mulierem ex potestate amantis abripi fecit, sed tragoediae convenienter (Fritze 179 sq.). Quia vero ex hoc fonte novae comoediae poetae uberrimos fructus ceperunt, quod pleraque artificia et causas moventes hic adhibitas in ipsorum fabulis in comicum verterunt, ergo tam similes fabulae novae comoediae sunt tragoediae nostrae, viri docti „Helenam" quoque comoediae attribuendam immerito censuerunt. Illo enim tempore Euripides novos actionis nodos novasque causas indagat, quibus spectatores delectet — quare pro „I. Ta." recognitio tam breviter tractatur, fraus tantopere extenditur — neque vero comoediae, quae tum talis nondum erat, indulget. Captiosissime enim interrogat tyrannus Graecos saepiusque in summas angustias adducit — qua re non assentior Wilamowitzio eum „polternden barbarischen Dummkopf" vocanti (Her. I¹ 114). Idem vix decipitur, quia Helena nupturam se ei, quod ardentissime cupit, simulat, et soror quoque fatidica, cui maxime confidit, mendaciis eum fallit. Profecto igitur Theoclymeni persona ad tragoediam quadrat. Nam barbarus est bonus, sed nefarius amor eum corripuit. Propterea eo quod patris votum Helenae castitatis servandae ratum non facit, immo huic Menelai uxori insidias parat et Graecos ne quis eam abripiat veritus morte persequitur, crimen committit, quod tragoediarum ritu expiandum est. Talem equidem personam re vera *φόβον καὶ ἔλεον* movere puto. Ceterum profecto Theoclymeni partes non comicas esse ducendas ex comparatione Thoantis apparet. Uterque enim scaenam ingressus stupet, quod verbo *ἔα* significatur (I. T. 1157; Hel. 1177; Leo 30), ille sepulcrum desertum contemplatus, hic sacerdote *θεᾶς ἄγαλμα* movente conspecta et pari modo uterque iterum

ficiosissime obviam facit poeta Tyndarida (Wiel. 60sq.; Fritze 186, 56), a qua de Menelai naufragio et morte certior fit. Et Helena, ut horum verborum veritatem barbaro probet, mendacio usa Menelaum, qui post sepulcrum abditus omnia comperit, ut ἕνα τῷ πόσει σύμπλουν et solum e naufragio servatum in colloquium inducit (1207) — ergo in scaena adesse et bene praeparatum esse opus est Atridam (c. s. 42, 2). — Nunc in stichomythia ingeniosa et ambiguitate verborum abundante — constat Graecos talibus facetiis esse delectatos (Patin 85) — Helenae et marito contingit, ut quae ad fugam perficiendam necessaria sunt, sub specie exsequiarum a pio rege impetrent. Ad quae apparanda (1390sq.) Theoclymenus abit peregrino pro bono nuntio praemium se daturum esse pollicitus[1]). Item Helena et Menelaus lavandi et amiciendi causa — hoc praetendit regina; re vera maritum armis instruit (1374), quae ad fugam perpetrandam maxime sunt necessaria (1606sqq.) — domum intrant.

Sequitur nunc canticum illud chori summopere depravatum, de quo adhuc acerrime disputatur. Qua de causa breviter de eo disserere mihi liceat. Ac primum quidem id non esse embolimum, quod vocatur, opinor. Nam Helena antea inimicissima nunc cum Theoclymeno, quantum videtur, in gratiam rediit. Propterea Euripides par illud Cereris in Iovem odium et reconciliationem recordatus hunc similem mythum hoc carmine praedicat[2]). Sed quid sibi vult ultima stropha? Plerorumque interpretum opinionem secutus qui ultimus hunc locum emendavit, Scottius (l. l. 170sq.) explicat: „Pulchritudine freta You neglected the service of the gods". At potuitne poeta,

obstupescit Apollinem invocans hic inaudito facinore comperto ille hominis naufragi squalore viso — ad misericordiam scilicet adductus. Neque enim, qui modo summo dolore et iracundia superatus est Helenam aufugisse ratus, iocari putandus est; immo bonus rex hac re misericors factus eo facilius aures fraudi praebet (Wiel. 61sq.). Nam quod illud ὑποπτήξας (1203) comice explicandum censuerunt viri docti (Steiger 216), artificium equidem poetae duco. Dicit enim Helena: hic qui tam misere et anxie se abdidit: miles scilicet gregarius nescioquis, non fortis vir, qualis Menelaus est, qui etiam in rebus adversis animo non deficit. Sic statim ab initio barbari suspicio tollitur. Pari modo tota haec scaena intellegenda est, quae Verrallio displicet (54sqq.). Nimis enim confidit barbarus sorori subtiliusque a naufrago Menelao et ab Helena simulante decipitur, quam ut ulla suspicio ei inici possit (Wiel. 61sqq.).

[1]) Veram hic regis naturam et mores inspicere licet. Graecos necare statuit; sed Graecus advenit et fausto nuntio summo angore eum liberavit. Propterea, ut est gratus, Graecum non modo non interficiendum, quin etiam praemio ornandum curat.

[2]) 1235sq.: διαλλάχθητί μοι; Berl. Klassikertexte V 1, 8; hym. Hom. V; Ovid fast. IV, 417sqq.

quam ceteris in tragoediae partibus imprimis etiam propter pietatem laudaverat (c. s. 20) et innoxiam miseria premi finxerat, hoc uno carmine impietatis accusare? Minime. Praeterea Cereris mysteria Eleusine tantum i. e. Athenis, non Spartae celebrabantur[1]), ergo Helena Spartana eam laedere non potuit. Denique choreutae sunt Ἑλλανίδες κόραι (193 = I. T. 130 παρθένιον) et servae, quibus Helena est πότνια (225); Tyndaris igitur esse nequit, quae hic παῖς vocatur. Equidem hic iterum Euripidem sua tempora respicere arbitror sic locum interpretatus. Ceres summas agit partes in mysteriis celebrandis. Nunc vero accepimus ante summam illam expeditionis Siculae miseriam Athenis Hermas esse deiectos et mysteria laesa (Müller-Strübing l. l. 81sqq.). Quae crimina ad Alcibiadem delata esse Thucidides tradit (VI, 61). „Helena" autem nostra 412 acta est, ergo paulo postquam cladis nuntius Athenas venit. Quo dolore impulsus, ut iam supra, hic quoque in auctores huius perniciei invehitur tragicus et sub specie calamitatum infelicium puellarum ipsorum Atheniensium mala describit i. e. fingit poeta choro hanc duram sortem impositam esse, quod — ut Athenienses — crimen nefarium commisisset et mysteriis laesis Cereris odium in se convertisset. Chorus igitur puellarum illo ὦ παῖ se ipsum alloquitur, sicut chorus „Eumenidum" Aeschylearum (149); re vera Euripides Athenienses significat et illo ὦ παῖ praecipue Alcibiadem, cladis auctorem. Haec iam Droyseni opinio est[2]).

Helena in scaenam regressa (1369) certiorem facit chorum — artificium scilicet poetae, cui quod intra commissum est, communicare cum spectatoribus opus est — Theonoam fratrem fefellisse et omnia ad fugam optime esse parata. Sed chorus est conciliandus, ne prodat regi consilia secreta, — coram choro enim coniuges consilia ceperunt; nam chorus in veterum fabulis deesse nequit — qua re pari modo ac Medea (259) et Iphigenia (1063) implorat eum Tyndaris, ut taceat[3]).

[1]) S. Wide, Lakonische Kulte, Lpz. 1893, 181: „dagegen tritt diese Göttin in Sparta selbst im Kultus wenig hervor".

[2]) Des Aristophanes Werke, Berlin 1838, III 231.

[3]) In „I. T." (1067sq.) et in „Helena" (1388sq.) choro salus promittitur, at in illa tantum fabula servatur, quod hoc modo interpretandum est: In „I. T." ubique chori amor patriae apparet et desiderium reditus, atque Iphigenia, potens sacerdos, pro certo socias se servaturam esse pollicetur: σωθεῖσα σώσω σε. Quod in fuga clandestina contingere nequit, propterea navis tempestate repellitur chorusque per deam ex machina redeundi veniam a Thoante accipit (Steiger 227sq.). In „Helena" contra chorus reditum non desiderat — est enim vinculo quodam cum Theonoa et ipso rege (c. s. 42, 5) coniunctus et Helena dicit ἢν δυνώμεθα (1388). Nunc vero fuga prospere cedit, ergo chori salus reditusque in Graeciam, quem non desiderat, non curatur.

Redit nunc Theoclymenus cum omni exsequiarum apparatu, ad quem curandum abierat, iterum Helenam, ne navem conscendat, adducere conatus. Quae acutissime regis curas sedat et ipsum summam potentiam ad maritum deferentem facit. Et tyrannus omnia, etsi non sine dubitatione (1392: 1427), tamen feminae dilectae gratia (1417 *εἴ σοι φίλον*) concedit atque desiderium suum expleri ratus ad nuptias ornandas domum intrat[1]), cum contra Menelaus ante summum discrimen modeste deos precatus — sicut iussit Theonoa (c. s. 41) — ut *μίαν χάριν δόντες* felicem tandem se reddant tot labores expertum, ad coniugem servandam abeat cum Helena et servis.

Quorum decessum tertium chori stasimum sequitur, quo puellae secundum ut nanciscantur cursum Helena et Menelaus precatae Dioscuros[2]) orant, ut sororem adiuvent et ignominia liberent — en denuo delegat poeta ad laudationem Helenae.

Ecce anhelans unicus nuntius, qui e caede servatus est — par artificium Sophocles iam adhibuit (O. R. 756) — et eodem tempore sine ullo consilio Theoclymenus — etiam in „Hippolyto“ (1156) Thesei adventus minime probabilis videtur — in scaenam prodeunt et vividissime refert servus fugam Atridae et Tyndaridis[3]). Re vera hic drama finitur. Sed spectatores

---

[1]) Ne hoc quidem comicum est, sed Helenae laudationi debetur; tantopere enim captus est barbarus eius pulchritudine, ut unum tantum cupiat: uxorem eam ducere — qua re fugae nuntio accepto prima sunt eius verba *ἐκπεφεύγασιν γάμοι με* (1622). Quod ut quam celerrime assequatur, haec omnia concedit et cum Helenae promissum se habere putet, ipse interea nuptias apparandas curat, ut statim post exsequias factas ardentissimum desiderium expleatur — avertendus enim eius est animus a fuga, propterea sicut Thoas aedem face purgat (I. T. 1216), ipse nuptias apparat.

[2]) Quos a choro ignaro pro dis haberi non est mirum. Teucri enim ille duplex nuntius, qui nimiae iracundiae debetur, plus mille versibus a nostro loco seiungitur et Dioscuri nautas tuentes omnibus Graecis noti erant (Hymn. Hom. 33). Immo sunt necessarii hi versus ad Dioscurorum adventum praeparandum; nam dei ex machina Euripidei vinculo quodam vel cum dramatis persona vel cum actione coniuncti esse solent, velut in „Hippolyto“: Hippolytus Dianae dilectus venator — Diana; in „Andromacha“: Peleus — coniunx Thetis; in „Oresta“: Orestes matris interfector — Apollo caedis auctor. Propterea nostro loco fratres Helenae hoc officio funguntur.

[3]) Quam benigne interpretes hanc relationem diiudicaverint Fritzius ostendit (89). Equidem afferam tantum, in quibus viri docti haerent interpretandis: 539 legimus *σὺν παύροις φίλοις* et 1550 *ἐπεισβατῶν πλῆθος*; ex diversa parte haec sunt dicta; Menelao enim ex tanta multitudine pauci servati videntur, barbaro contra mirum est tot naufragos Graecos convenire ad Atridae exsequias cohonestandas. Deinde ne caedes quidem habet cur offendat. Neque enim sponte sua secuti essent barbari Graecum, cui aufugere conanti nil relinquebatur, nisi ut barbaros vinceret, quod idem Orestes studet (I. T. 1366). At in „I. Ta.“ neque Graeci neque Tauri gladiis sunt instructi et in terra est pugna, qua re *δεινὰ* tantum *πλήγματα*

docendi sunt, num tandem ad finem perveniant Menelai labores et errores et Helenae miseria Mercurique oraculum ratum fiat; qua re deo ex machina opus est. Propterea hic denuo Theonoae partes artificiose adhibuit poeta. Nuntio enim audito Theoclymenus furit et cum Graecos consequi non possit — velocissima enim eorum navis est (1531) et nimium viae iam praecepit (1269) — sororem certe mendacem punire in animo habet, ne *ἄλλον ἄνδρα ψεύσηται μαντεύμασιν* (1626). Et rex, qui solus in scaena est, domum nullo arcente intrare festinat Theonoae pessima minatus. Quod ne fiat, chorus — iterum, ut supra (31 sq.), artificiose eum in actionem inducit tragicus — regem vel manibus retinere conatur. At manifestum est infirmas puellas virum furentem prohibere non posse, ergo Dioscurorum adventu opus est[1]). Nunc vero duplici officio funguntur dei ex machina Euripidis. Primum enim praedicare solent ritum vel institutum Athenarum (Lind. 79), laudis patriae scilicet gratia (El. 1254 sqq.; I. T. 1449 sqq.; Or. 1648 sqq.). Sic etiam in nostra „Helena“ Dioscuri dicunt: *Διοσκούρων μέτα σπονδῶν μεθέξεις ξένιά τ' ἀνθρώπων πάρα ἕξεις μεθ' ἡμῶν.* Re vera legimus apud Eustathium (Comm. Hom. Od. 1425, 62 sq.). Athenis Dioscuris una cum Helena *τριττυίαν θυσίαν εἶναι.* Deinde poeta sophistico illo etymologiae studio pellectus libentissime

---

ἦν γενειάδων, in „Helena“ contra in nave luctantur Graeci armati et Aegypti inermes (1601), ut aut fluctibus submergantur aut mortem occumbant barbari (contra Steiger 217). „So wird der letzte Eindruck, den Menelaus und Helena dem Zuschauer hinterlassen, der von heroenhaften Gestalten“ (Fritze 189) — laudationem memineris. Theonoam vero hanc caedem fieri passam esse poeta proprie argumentis non confirmat. Minima non curat; nam etiam Proteus Homericus est vates neque tamen dolum sentit (δ 453).

[1]) Schraderus qui de deis ex machina luculentissime disputavit (Rhein. Mus. 22, 544 sqq. et 23, 103 sqq.) contendit (105): „derselbe zwiefache Zweck des Dichters, eine Art von Ersatz für die aufgegebene trilogische Verbindung zu schaffen und die lehrhafte Tendenz, die Unfehlbarkeit und Allweisheit des Schicksals hervorzuheben, haben ihn auch bei dem Einführen der Götter am Schlusse der „Helena“ geleitet“. Nostro certe loco eorum munus maius est. Primum enim excusant Theonoae factum. Summam vero iterum iam Wielandius recte animadvertit (80): per eos poeta ab ipsis deis encomium Helenae probari facit. Di enim Helenae immortalitatem praebent et *ξένια ἀνθρώπων* non quod est Iovis filia — ut in „Oresta“ (1635) — sed propter castitatem et fidem (1669 = 44 sq.). Sic etiam Menelaus laudationis more honoratur. Neque enim quod est *γαμβρὸς Διός* (Hom. δ 569) — hoc est bonum *ἔξω τῆς ἀρετῆς* (c. s. 25) — ei sedem in beatorum insula tribuunt dei, sed quod est *πλανητής* i. e. tot et tanti labores et errores a dis compensantur, quos, ut Helena, nulla ipsius culpa, sed propter dearum certamen et Iovis consilium subire debuit — est enim alter *πολύτλας, ὃς μάλα πολλὰ πλάγχθη.* Quod optime Isocratis „Helenae“ verbis confirmatur (§ 62): *Μενελάῳ χάριν ἀπέδωκεν ὑπὲρ τῶν πόνων καὶ κινδύνων, οὓς δι' ἐκείνην ὑπέμεινεν.*

deum ex machina loca vel templa vel gentes nomina accepturas esse a prima dramatis persona pronuntiantem facit (Ion 1577; 1588; 1590; 1594; El. 1275; I. T. 1454; Or. 1646). Parique modo Helenae insulam, quae a nostro mytho alienissima est (Ver. 71), Euripides priorum verborum neglegens nulla alia causa inseruit, nisi propter nominis similitudinem. Atque Theoclymenus — ut Fritzi verbis utar (190) — „drückt schließlich der ganzen Tragödie noch einmal den Stempel der *παλινῳδία* — i. e. sicut nos eruimus encomii Helenae — auf“.

TERTIA PARS.

De compositione „Helenae“.

Iam tragoedia enarrata nostrum est exponere, quos mythos Euripides invenerit et quomodo eos consilio suo adaptaverit. Tres exstant fabulae, quae tragico viam indicare potuerunt: Homeri relatio (*δ* 351 sqq.), Herodoti narratio (II 113 sqq.), Stesichori palinodia, quarum Herodoteam et Stesichoream inter se minime coniunctas esse omnes viri docti consentiunt. Nam, ut uno verbo dicam, Herodotus vulgaris mythi Helenam describit[1], Stesichorus integram coniugem. At quid palinodia illa tractaverit adhuc magna est controversia (Prem. l. l.). Quaenam sunt tradita? Solus Plato (Phaedr. 243 a) laudat versus: *οὐκ ἔστ' ἔτυμος λόγος οὗτος οὐδ' ἔβας ἐν ναυσὶν εὐσέλμοις οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας* i. e. in Stesichorea illa palinodia Helena naves omnino non conscendit, sed in Graecia — fortasse in templo Therapnae (Herod. VI. 61) sito, ubi cultus Tyndaridis plurimum valebat[2]) — Graecis nesciis permansit. Quod luculentissime confirmatur Dionis Prusensis verbis (or. XI, 41 ed. Arnim): *Στησίχορον . . . λέγειν, ὅτι τὸ παράπαν οὐδὲ πλεύσειεν ἡ Ἑλένη οὐδαμόσε, ἄλλους δὲ ὡς δεῦρο εἰς Αἴγυπτον ἀφίκοιτο*[3]). Qui licet Stesichori opera non legerit, id certe manifestum est scholiis[4]), quae „adversa fronte cum Stesichori versibus pugnant“ (Bergk., Lyr. Gr. III 218) fidem habendam non esse. Sola Apollodori[5]) verba opinioni nostrae obstrepere videntur; at diligentius inspiciamus: *Μενέλαος*

[1]) § 115 *ἀναπτερώσας αὐτὴν* = Tro. 987; *ἁρπάζειν* 113, *ἐξαπατᾶν* 114, *ἐκκλέπτειν*: significat id tantum Herodotus, quia eius magis interest Aegyptiorum regis sapientiam et iustitiam illustrare.

[2]) Initio enim deam fuisse Helenam constat.

[3]) Cuius sophistae doctissimi verbis cur diffidamus non est.

[4]) Schol. ad Aristid. I, 131, 1 ed. Dinndorf; Scholia ad Lycophronem ed. Scheer 59.

[5]) Wagner, Mythographi Graeci 188 et 226. — vide Prem. 642.

πέντε ναῦς ἔχων πλανώμενος ἀνὰ Αἴγυπτον ... est Homeri (*γ* 299) et Nostorum relatio (Kinkel l. l.): *Μενέλαος μετὰ πέντε νεῶν εἰς Αἴγυπτον παραγίγνεται.* Et cum hac narratione epitomator ex alio fonte (*καὶ κατά τινας*) coniungit, quae de Helenae in Aegypto recuperatione comperit, quae optime ex Euripidis „Helena“ hausta esse possunt. Ergo nulla re cogimur Premersteinium secuti ex Stesichori palinodia haec prompta putare, quod idem de Lycophronis „Alexandra“ dicendum est. Quem summum ex Stesichoro simulacrum mutuatum in ceteris rebus Herodoteam fabulam respicere Holzingerus recte affirmat (ed. 1895 Ann. 820). Quae cum ita sint, hoc mihi persuasi: Stesichorus hymnum in honorem Helenae deae scribere studuit, propterea deam adulterii arguere ei non licuit. Se cum sic belli Troiani causa caduca esset et Helenam cum eo coniunctam esse negare nequiret, simulacrum ex Homeri operibus (*E* 449; *λ* 601) haustum pro ea substituit et hoc Helenae vice fungens, ipsam fortasse in illo templo, cuius sacerdotibus hymnum confecit aut Therapnae (c. s. 48), intra belli Troiani annos commorantem finxit — neque enim ulla res aut fragmentum ab hac opinione discrepat. Posteri vero hoc poetae consilium obliti, cum hos versus laudem adulterae continentes explicare non possent, pulchram illam caecitatis fabulam commenti sunt — sicut parem Simonidis salutis (Cic. de or. II, 86). Iterum haec iam Dionis est sententia (XI, 40 sq.: *Στησίχορον τυφλωθῆναί φατε*). Et hanc bellam fabulam, non ita palinodiam, afferunt Plato et Isocrates, ille ioci (Phaedr. 243 a), hic laudationis gratia (Hel. § 64). Nunc vero etiam Euripides Helenae encomium conficere in animo habet. Laudatione autem postulatur, ut nova proferat auctor *παραλιπὼν ἅπαντα. τὰ τοῖς ἄλλοις εἰρημένα* (Isocr. Hel. 15 = Gorg. Hel. 5); quod Euripides bene observavit, sicut Aristophanis „*καινὴ Ἑλένη*“ testificatur (Thesm. 850). At autumat Lindskogius (108): Die Gedichte des Stesichorus waren zu jener Zeit in aller Munde — das können wir aus der Art und Weise sehen, wie Aristophanes sie parodiert, ohne sie zu zitieren“. Ergo qui potuit Aristophanes Euripidis „Helenam“ *καινήν* vocare, si Stesichorus omnia vel plurima, quae tragicus profert, in carmine suo iam rettulisset?[1]) Et nunc Euripidis „Electrae“ illos versus (1280 sq.) cum Stesichori verbis comparemus. Dicit enim ille: *Πρωτέως*

[1]) „Helenae“ enim et „Andromedae“ scaena procul a patria est — res Atheniensibus nova atque fere inaudita et vel eo ab Euripide nova spectatorum oblectamenta inquirente adhibita (Bergk. III, 554) — et hoc quoque Aristophani novum videtur, qui Herodoteum mythum utpote in historici libello narratum et Helenae adulterium continentem neglegere potuit; neque vero ei licuit Stesichori carmen praetermittere.

γὰρ ἐκ δόμων ἥκει λιποῦσ' Αἴγυπτον οὐδ' ἦλθεν Φρύγας contra hic: *οὐδ' ἔβας ἐν ναυσὶν οὐδ' ἵκεο Πέργαμα Τροίας.* Nonne verisimile videtur tragicum, quem assidue in fabulis componendis Stesichori exemplum secutum esse Seeligerus eruit[1]), hic lyrici verba significare, sed, quae discrepant ab eius mytho, statim ut norint spectatores expressis verbis afferre? Dicit enim poeta *λιποῦσ' Αἴγυπτον* (1281) et fingit bellum Troianum esse coortum, quod *Ζεὺς εἴδωλον Ἑλένης ἐξέπεμψ' ἐς Ἴλιον* (1282 sq.); apud Herodotum contra Menelaus *μισηθεὶς καὶ διωκόμενος οἴχετο φεύγων* (§ 119) et bellum conflatur, quod Graeci verbis Troianorum Helenam in Aegypto esse dicentium non confidunt. Athenienses igitur ex his versibus suspicatos esse Euripidi hic ob oculos versari Herodoti narrationem equidem mihi persuadere nequeo. Eo vero quod bellum simulacro conflari facit, poeta auditores de Stesichori palinodia commonet et Helenae innocentiam i. e. laudationem indicat, quod consilium quin intellexerint spectatores dubium non puto. Nunc vero Gorgiam encomium Helenae paulo antea prospere edidisse verisimile esse cognovimus. Et cum Herodoti relatio hic significari non possit, talis vero dramatis significatio nullo alio loco Euripidis operum inveniatur, ergo singularis sit (c. s. 16) neque ita interpretanda, ut poeta vetus tantum argumentum in tragoediam se mutare velle Atheniensibus indicaverit, nihil obstat quominus Euripidem id spectavisse credamus, ut Athenienses Gorgiae specimine delectatos attentos faceret, quomodo ipse hoc inventum Helenae laudandae, quod nuper sophista tam luculente tractavisset, ad tragoediam componendam adhiberet.

Ergo iam Stesichorum in illa palinodia Helenam in Aegypto apud Proteum morantem finxisse non est cur credamus, qua re ex ea simulacrum tantum mutuari potuit Euripides. Propterea ceterae duae tantum fabulae, Homeri et Herodoti, qui ipse ad Homerum delegat, poetae exemplari esse poterant. Profecto ex amborum argumentis hausit tragicus: Homeri enim est Protei nomen, Pharus insula, tempus septendecim annorum, loci solitudo, necessitas Menelai et sociorum, Menelaus solus insulam pervagatus, Eidothea fatidica Menelaum servans; contra Herodoti narrationi debentur Helenae in Aegypto commoratio, Helena *ἀπαθὴς κακῶν*, Menelaus *φεύγων, φύλαξ τοῦ στόματος*, Proteus rex atque rex Aegyptiorum et Helenae castitatis tutor. Ambos igitur mythos assumpto Stesichori simulacro in unum coegit Euripides[2])

[1]) Die Überlieferung der griechischen Heldensagen bei Stesichorus. Gymn.-Progr., Meißen 1886, 3.

[2]) Confecit enim „Helenam" tragicus tempore cum iam inciperent poetae repetere obscuros abditosque mythos, ut ex Antimachi „Lyda" efficere licet. — Sic quoque explicandum est, cur in prologo Proteus Phari habitet (5) — neque enim hic versus eiciendus est (Arnim. l. l. 70) — in media vero fabula eius regia in Aegypto collocata sit (Ver. 72); modo enim Euripidi Homerica potius narratio, modo Herodotea potius oculis obversatur.

— sicut ex Iphigeniae immolatione et Diana-Iphigenia Tauropolo de suo unam fabulam conflavit (Bruhn l. l. 1 sqq.) — et sic re vera *καινὴν Ἑλένην* effecit. Neque vero tale argumentum ad laudationem perfectam et imprimis tragoediam actionem postulantem componendam plane sufficiebat. „Eine Helena vom guten König Proteus behütet, war undramatisch; sie mußte sich in Leiden und Anfechtungen bewähren" (Steiger 208). Sic tantum perficitur cum perfecta laudatio, tum actio quam maxime contorta et impedita, qualem Athenienses desiderabant (Bergk. III 558).

Qua de causa argumentum ex Homeri et Herodoti relationibus coagmentatum ipse poeta de suo ita mutavit et exornavit[1]), ut spectatores et encomium Helenae cognoscerent et compositione fabulosa delectarentur. Quae commutatio facillima erat. Nam opus tantum fuit Helenae pulchritudine omnes capiente[2]) etiam barbarum regem correptum Helenaeque conubium petentem fingere. Clementem vero regem Proteum et natu grandem, quem dei ipsi castissimum Tyndaridis tutorem instituerant, hoc amore nefario inflammari minime licuit poetae facere. Propterea hic, consilio tragici non indoneus,

[1]) Sed nimis cumulavit Euripides actionem, qua re nonnumquam, etsi raro, aut fabulae consilium oblitus est aut necessitate coactus nonnulla inter se non plane congruentia finxit. An primum neglexit ea quae mytho spectantur: Iuppiter Helenam castitatis servandae gratia ad castissimum regem Proteum traduxit; is vero officio nondum perfunctus moritur et Helena, quam in Aegypto in tuto esse dei voluerunt, nunc Theoclymeno vehementer instante vel maxime in periculo versatur eiusque castitas non mediocriter periclitatur. Deinde Theoclymenus litus diligenter observandum curat (1174), et Menelaus quidem naufragus in oram desertam eiectus clam custodibus *ὄχλον εἰςπεσεῖν* veritus advenisse potest. Sed etiam Teucri (c. s. 28) et nuntii (c. s. 36) adventu opus est. At quomodo ille et hic *πᾶσαν πλανηθεὶς τήνδε βάρβαρον χθόνα* a custodibus conspecti non sint, poeta minime probat. Denique eo, quod Theonoam vatem induxit, re vera Teucri partes caducae sunt. Recte enim viri docti (Ver. 59 sq.) notaverunt audax esse argumentum Helenam septendecim iam annos apud Proteum moratam belli Troiani calamitates a vate non didicisse. Sed, ut vidimus, Teucri partes ad Helenae animum percellendum et Theonoae ad Helenam servandam necessariae sunt. Tales vero discrepantiae in omnibus fere tragici fabulis nobis occurrunt. Singularum enim scaenarum vim et auctoritatem quam maxime augere studet Euripides, quod ut efficiat interdum totius fabulae nexum non plane curat. — Simul etiam hac re demonstratur in Stesichori palinodia haec non coniuncta fuisse; certe has discrepantias, quae nascuntur, cum ex diversis argumentis unum conflatur, tragicus vitasset (c. s. 50, 2).

[2]) *ἣ πλείστας πλείστοις ἐπιθυμίας ἔρωτος ἐνειργάσατο* (Gorg. Hel. 4).

de medio tollitur et de suo Euripides novam inducit personam, filium Theoclymenum (c. s. 42), qui vehementissimo Helenae amore accensus eam quamvis nuptam matrimonio sibi iungere desiderans Graecis inimicissimus est, et ne maritus Troia rediens abducat coniugem diligenter custodiendam curat. Sic facillime actionem dramati aptam effecit tragicus: Menelaus simulacro deceptus uxorem in Aegypto recognoscit et ex tot angoribus et periculis prospere ereptam eo quod barbarum fraudat, secum domum abducit. Sed ubi Theoclymenum Helenae procum fecit, Euripidi etiam huius feminae condicio immutanda erat. Neque enim iam est hospes Tyndaris regis Aegyptiorum, sed ab eo in matrimonium petitur, quin vel vi cogitur. Sed casta et fida marito cum esse debeat, refugit poeta ad sepulcri inhabitationem, qua tragici libenter uti solebant (c. s. 28). Sic vero etiam Menelao locum, quem apud Homerum habet, obtinere minime licuit. Qui si cum quinque navibus et sociis in Aegyptum venisset (γ 299), facile Helenam vi abreptam secum abduxisset (Or. 1483sqq.) et actio fabulosa deleta esset. Hic igitur vel maxime locum habet Euripidis illud artificium miseros et mendicos fingendi. Nunc vero iam apud Homerum dira necessitas urget regem et socios, *ἔτειρε γὰρ γαστέρα λιμός* (δ 369), et Menelaus solus, iam paene mendicus, — rei frumentariae causa sicut in nostra „Helena" — pervagatur (δ 367). Qua re difficile non fuisse puto tragico secundum hanc Homericam narrationem Atridam et sodales re vera naufragos fingere. Quam actionem de suo inventam vividiorem reddidit, ut vidimus supra (32 et 39, 2), eo quod cum horum partibus Theonoae personam artissime conexuit. At nondum satis hoc erat Euripidi; magis etiam actionem contorsit et impedivit. Nam Herodotus tradit Helenam Paridi a Proteo abreptam, dum bellum Troianum gereretur, in Aegypto fuisse et Menelaum, legatum Helenae recuperandae causa Troiam missum haec comperisse neque vero credidisse, sed Troia demum capta veris convictum et ad Aegyptum appulsum a Proteo coniungem accepisse. Neque vero hoc placuit poetae. Primum enim Herodotea illa vulgaris mythi Helena ad laudationem minime erat apta, propterea neque Stesichorus neque Euripides talem Troiani belli causam proferre potuerunt, immo ad simulacrum refugerunt. Tum inde maiorem fructum cepit tragicus. Nam hoc „Motiv der Doppelgängerin", quod vocat Bergkius (III, 559), optimam poetae praebuit copiam actionem necopinatis rebus exornandi et spectatores semper intentos habendi. Tali enim nodi audacia et acumine ingenii „in einem künstlichen Labyrinth von Ungewißheiten, Verlegenheiten und Überraschungen" (Wiel. 5) demonstrato optime spectatores cap-

turum se esse sperat Euripides, qua re profecto, quasi pontem facit ad novam comoediam[1]).

Quaenam igitur perfecit Euripides? Initio Gorgiae encomio Helenae incitatus ipse quoque tragoediam laudationi huius feminae adaptare in animo habuit, quod consilium cum Atheniensibus, ut eos attentos faceret, statim in „Electra", quae tum, 414, cum prodiit in lucem Gorgiae opusculum, poetae in manibus erat, communicavit. At sequor Steigerum (234sq.) Euripidem „Electra" sua Sophoclis „Electram", 414 actam oppugnavisse putantem et dicentem: „Sein <Euripidis> Stück war erfolglos. Mit der negativen Kritik seiner Electra war gegen die poetischen Vorzüge der sophocleischen Gestalt nicht anzukämpfen. Dadurch wurde bei unserem Dichter der Gedanke an die „Helena" zunächst zurückgedrängt: noch einmal wollte er den Kampf aufnehmen. Durch sein Mißgeschick gewitzigt legte er aber diesmal seiner Kritik die knappsten Zügel an; mit der „taurischen Iphigenie" trat im Jahre 412 nicht der Kritiker, sondern der Dichter Euripides gegen Sophocles in die Schranken." Hactenus quidem Steigero assentior neque vero in partes eius ire possum dicentis (237) „Helenam" una cum „I. Ta." Magnis Dionysiis esse actam. Nam uno solo argumento nititur: „Helenam" esse parodiam „aus Homer und aus Partien der Iphigenie zusammengewoben"; qua re pares compositiones et actiones in diverso proposito adhibitas facile eodem tempore prodire potuisse. Sed me ostendisse puto „Helenam" non esse parodiam, ergo hoc argumentum tollitur. „Aber eben weil beide Stücke einander so ähnlich sind, können sie unmöglich zu demselben Dramenzyklus gehört haben" (Bergk. III, 552). Steigeri vero argumenta, quibus nixus „I. Tam." 412 actam esse autumat, plus valent, quam ut eis non assentiamur. Sed qua re impedimur, ne Lenaeis anni 412 hanc fabulam in scaenam prodisse credamus, praesertim cum iam 416 Agathonem Lenaeis drama docuisse constet (Athen. V, 217a; C. I. A. II, 2, 972)? Qua fabula in pristinam poetae gloriam restitutus et Sophocli

---

[1]) Leo, Plautinische Forschungen 149. Re vera sic vel maxime portentosum est argumentum — simulacro scilicet adhibito — neque potest negari Helenam fidam sic marito simulacro contento reddi (Ver. 45sq.). At secundo loco id demum curat Euripides, qui ut iam vidimus (c. s. 51, 1), id potissimum spectat, ut Helenae dolore laceratae mores et affectus quam verissime describat et auditores miseriam quasi ipsos sentientes fingat atque singularum scaenarum vi Athenienses moveat. Sunt enim Euripidis fabulae — cum Plauti comoediis hac in re comparari possunt — quae in scaena conspiciantur, non quae diligenter et summa subtilitate explicentur; neque quemquam puto plane intellexisse argumenti audaciam — certe ludibrio habuisset Aristophanes — sed misera Helenae maxime motum esse condicione.

aemulo par factus statim „Helenam“ in scaenam mittere maturavit, ne interea plane Gorgiani encomii ardor et admiratio infringeretur. Magnis igitur Dionysiis, ultimo anni tempore fabulas agendi, ergo duobus mensibus postquam „I. Tam.“ docuerat, „Helena“ ei agenda erat. Quod spatium cum brevissimum esset, ex „I. Ta.“, quam Atheniensibus valde placuisse Bruhnio (l. l. 15) libenter concedo, quod consilio suo aptum erat mutuatus est. Nam obiter iam legenti „Helenam“ statim duas partes continere compositionem apparet, quarum in priore excepta recognitione actio fere non inest, cum in altera tantum actio caleat[1]). In priore enim mens Helenae describitur, in altera facta proferuntur, illa ad Helenam tantum spectat et bonos huius feminae mores proprios continet, haec vero novae comoediae more mutatis nominibus sine ulla actionis commutatione de quibusvis hominibus dici potest. Quod facile explicatur. Laudatio enim tantum ad drama conficiendum non sufficiebat, actione vivida opus erat. Sic tragicus, ut vidimus, ex Homeri et Herodoti narrationibus et Stesichoreo simulacro unum argumentum actionis plenum effecit. Quod cum „I. Tae.“ simillimum esset, poeta temporis brevitate coactus non dubitavit summam huius compositionis fabulosae ab Atheniensibus comprobatae — praesertim Theonoae partibus immutatam et auctam (c. s. 39) — quasi ornamenti gratia ex illa fabula recipere[2]), quod eo facilius potuit, quo magis ipsi et spectatoribus summa erat Helenae laudatio; neque enim duas fabulas tam similes accepissent cives, nisi summa utriusque diversa et nova esset. Nam respice quaeso: Prius argumentum in duas partes dividitur, Helenae et Menelai adventum, quae simillimae sunt et pari fere longitudine (1—385 vv.: 385; 386—760: 374 vv.). In prioris partis initio Helena sortis suae expositionem dat, in alterius Menelaus, illic *καινὴ Ἑλένη*, hic novus Menelaus inducitur uterque nomine allato statim miseriam deflens; illa enim nulla sua culpa est *ἱκέτις*, hic *ἱκέτης*; illic femina adest et vir advenit et Troiana fata narrans Helenae praesentis calamitatem auget, hic mulier accitur et Aegyptias res nuntians Menelaum praesentem maiores in angustias adducit. Deinde Teucer quaerit oraculum, Menelaus victum, ille est Helenae inimicissimus, hic ardentissimus eius amator ignominiam minime curans; et Telamonius immeritus a patre a patria secluditur et *φυγὰς* (90) ad Aegyptum appellitur, parique modo Atrida nulla sua culpa a dis procul a patria in mari retinetur et naufragus in Aegyptum eicitur. Item sicut Teucer statim acerbissime invehitur in Tyndarida, ita contra ostiaria vehementissime increpat ducem Graecum. At et Helena et Menelaus animi lenitate utrumque movent et sic nuntios optatos impetrant; sed cum Teucer tum Menelaus infecta re reiciuntur. Atque etsi eo quod duos prologos eosque pari forma operi inseruit, nonnulla saepius repetere cogebatur poeta (Wiel. 41), tamen hoc peccatum, quod in „I. Ta.“ (67 sqq.) tam artificiose vitavit, subire maluit quam concinnitatem rhetoricam disturbare. Neque enim minus concinna est exterior forma utriusque partis. Primo enim loco stat prologus, qui continuatur dialogo, quem monologus sequitur (c. s. 34). Illic deinde Helena adest et chorus advenit hic primum chorus prodit — abiit enim — tum Helena intrat scaenam — etiam hoc pro commo haberi potest (c. s. 35). Monologum igitur utraque in parte commus sequitur, quo finito illic Helena et chorus dialogum faciunt, hic Helena et Menelaus. Quem dialogum utroque loco iterum commus sequitur, ita ut haec fere sint quasi lineamenta prioris partis,

	I.	II.
prologus	1 sqq.	386 sqq.
dialogus	68 „	437 „
monologus	164 „	483 „
commus	189 „	515 „
dialogus	223 „	546 „
commus	330 „	625 „

etiam haec pari fere longitudine.

Denique velim respicias optimam gradationem: Primum enim queritur Helena infamiam immeritam, tum Menelaum, salutis ancoram, ademptum, denique ipsius repudiationem.

Videmus igitur hanc priorem fabulae partem et quod argumentum et quod formam attinet orationi politae et optime distinctae, quae modo parium modo contrariarum rerum nexu continetur, simillimam esse. Num vero id casui debere putemus? Nonne potius haec rhetorica artificia Helenae laudationis gratia adhibere et aperte cum oratore Gorgia certare Euripidem censeamus? Quam opinionem si sequemur, statim intellegemus

---

[1]) Ver. 50 sq. = Pflugk-Klotz 12: „Helen consists of a situation and a movement“. *δρᾶμα* vero non est *δι' ἀπαγγελίας*, sed *μίμησις πράξεων δρώντων* (Arist. A. P. 1449 b).

[2]) Etiam chorum simpliciter ex „I. Ta.“ prompsit Euripides. „Wie die Anwesenheit griechischer Frauen am Nilstrome zu rechtfertigen ist, hat der Dichter verschwiegen.“ Bergkius merito affirmat (II, 559, 276); hic enim tantum est *θήραμα βαρβάρου πλάτας* (192), cum contra in „I. Ta.“ chorus affirmet: (1111 sq.) *ζαχρύσου δὲ δι' ἐμπολᾶς νᾶσον βάρβαρον ἦλθον.* Quin etiam materiam canticorum tragicus tempore deficiente ex illa fabula mutuatus est, qui fit ut tam paria et inverso tantum ordine eadem fere sint tria nostra carmina atque „I. Tae.“ (Ver. 107 sqq.).

cur primum chori stasimum tam sero a poeta insertum sit. Disturbavisset enim hanc concinnitatem et aequabilitatem membrorum prioris partis. Et quia post recognitionem continua actione progreditur compositio semperque in scaena colloquuntur personae, canere tantum potest chorus ante Theoclymeni adventum (1107), maiore parte fabulae iam peracta.

Quodsi singulare poetae consilium Helenae laudandae, quo incitatus pro nostro iudicio interdum fortasse nimis arti oratoriae — contra Gorgiam scilicet oratorem — indulsit — at deliciis sui temporis convenienter —, et brevitatem temporis, cui parva illa peccata (c. s. 51, 1) et nimia „I. Tae." similitudo debentur, respicimus, iam cognoscimus Euripidis „Helenam" re vera esse tragoediam et ex tanta multitudine interpretum praecipue Wielandi iudicium sequemur, qui, ut erat ipse poeta, poetae subtilitatem et elegantiam optime animadvertit et comprehendit.

Vita.

Carolus Ericus Preuss, Buchholzae, in oppido Saxoniae, Paulo patre, matre Amalia e gente Vogel, natus sum Id. Iun. MDCCCLXXXVIII: fidem profiteor evangelicam Lutheri. Patriae in ludo publico litteris elementariis imbutus post quattuor annos in Gymnasium Reale, quod vocatur, Annabergense transmigravi et inde ab anno MCMII Misniam in scholam regiam Afranam me contuli. Hic studiis continuis severaque disciplina usus sum rectore primum Petero, deinde Poeschelio, quos pio semper gratoque animo colam. Sex post annos maturitatis testimonium adeptus MCMVIII Lipsiam in philologiae studia potissimum incubiturus profectus sum. Hic terna semestria proseminarii philologici sodalis et seminarii hospes fui praesidibus Bethio et Heinzio. Docuerunt me Lipsiae viri illustrissimi Bethe, Brahn, Brandenburg, Brugmann, Gardthausen, M. Heinze, R. Heinze, Jungmann, Lamprecht, Lipsius, Martini, Meister, Salomon, Schreiber, Studniczka, Suess, Wilcken, Wundt. Quibus omnibus praeceptoribus plurimum debeo. Imprimis vero Heinzio et Bethio, benevolentissimis meorum studiorum fautoribus, qui tironem pro sua quisque doctrina et humanitate adiuverunt et provexerunt, gratiam habeo maximam.